Anticosterus

Franciscus Gomarus

[illegible] ...OSTRARVS:

SEV

[illegible]

[illegible] ...PVARVM [illegible]

TEMPORIS

D. Religione,

[illegible] FRANCISCO [illegible] ...STER

D. Theol... [illegible]


REFVTAT

Lectori [illegible] FRANCISCO [illegible]

D. & Professore Theol... [illegible]

...mia Leyden...

[illegible]



[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] I. [illegible]

Ampliss. sapientibus & prudentissimis viris, Reipub. Leydensis D.D. PRÆTORI, CONSVLIBVS SCABINIS

Salutem.

VERE & eleganter, amplissimi & sapientes viri, à Sapienti viro ecclesia lilio inter Spinas sito comparatur. Cantic. 2. 2. Vt enim lilium illud spinarum aculeis pungitur; sed non exstinguitur: ita Dei ecclesia circumstantium aduersariorum machinis premi potest, sed non opprimi: quemadmodum perpetua omnium temporum experientia attestatur. Nam & princeps infidelium huius mundi Diabolus interdum leonina feritate, interdum serpentina calliditate, aduersus ecclesiam certat: & ministri illius, Christi ecclesiæque hostes coniurati, eandem partim aperta vi, partim operta fraude, frustra oppugnant.

At vi quidem vtuntur tyranni, qui ferro flammáque verè fidelibus mortem minitantur; fraude verò hæretici, qui suaui diuini verbi & auctoritatis ecclesiæ appellatione abusi, tenellis & rudibus piorum animis sese insinuare & errorum suorum venena infundere student, vt incautos à recta salutis via seducant. Sed vtrique tandem inani

Actor. 9. 5. opera se fatigant & aduersus stimulum calcitrant, suo potius quàm Christi aut ecclesiæ damno. Quid enim tyranni tam diuturna immanitate in ecclesia persequenda assequuti sunt? Nimirum (vt præclarè ait

Græcarum affect. cura. sermone 9. Theodoretus) quod piæ veritatis robur manifestius declararunt. Ac veluti quondam rubus ille, quem vidit Moses, ardore ignis non est absumptus; ita nec Christianos impiorum bellis petitos tela hostilia consumserunt: quin potius sicut lignatoribus syluam cædentibus multò plures pullulant propagines à radicibus,

quàm

quàm sint rami, qui inciduntur: ita tunc quoque pijs compluribus interfectis, multò plures quotidiè ad doctrinam Euangelicam accedebant, cruorque ille cæsorum corporum irrigatio quædam erat nouis in ecclesia emergentibus plantis. *Nec aliter hæreticis cedit, quorum nefarios & perniciosos conatus Deus admiranda sua prouidentia eludit & simili ratione ad laborantis ecclesiæ salutem conuertit.* Etenim oportet (*vt inquit Apostolus*) hæreses esse inter vos, vt qui probati sunt, manifesti fiant inter vos: & (*quemadmodum Apostolo consentiens ait Augustinus*) vt magis magisque excitaretur ecclesia & probaretur & illustraretur & doctrina eius & patientia. *Nam sicut aurum igne explorari & à scoria purgari solet: sic concitatum ab hæreticis in ecclesia incendium verè fidelium constantiam exercet, negligentiam excutit, & ad serium*

1.Cor.11. 19.

De Catechizandis rudibus cap.24.

 verbi

verbi diuini examen excitat & inflammat. Quoniam (*vt alibi rectè de hæreticis monet Augustinus*) hi si non essent, multò pigrius veritas quæreretur. *Ac propterea non immeritò* hæreses ecclesiæ cotem *appellari posse arbitramur. Quis enim orthodoxos patres Arij, Nestorij, & aliorum hæreticorum oppugnationibus exercitatos, longè distinctius & accuratius de Deo, quàm eorum maiores, scripsisse ignorat? Quis non videt doctrinam de gratia Dei, episcoporum negligentia paulatim in ecclesia obscuratam, exorto tandem hæretico Pelagio, Augustini & aliorum suscitata diligentia, factam esse longè illustriorem? Et vt ad nostra tempora descendamus, ex quo Romanæ sedis triarij Iesuitæ nouo quodam fuco Pontificios errores tueri & veritatem oppugnare cæperunt, dici vix potest quantam pijs scriptoribus veritatis penitius indagandæ & ecclesiæ confirmandæ ansam præbuerint. Quis igitur non agnoscat vtile*

De Vera Religione cap. 25.

cum

cum primis & necessarium eorum esse institutum, qui officij conscientia & ecclesiæ amore accensi, refellendis aduersariorum erroribus ad Dei gloriam & piorum salutem sua studia & operam fidelem contulerunt? Quare eodem cõsilio publicam Enchiridij Costeri *refutationẽ publicè mihi demandatam tandem suscepi: quamuis multa initio me ab eo studio deterrerent. Etenim non ignorabam quanta in Hollandia, Zelandia vicinisque prouincijs pietate & eruditione excellentium ecclesiastarum esset copia: qui si animum ad scribendum appulissent doctrina & eloquentia meam opellam longo superarent interuallo. Huc accedebat temporis, quod ad scribendum requirebatur, inopia, qua ob prælectionum & disputationum in academia & concionum in ecclesia frequentiam laboramus. Denique mouebat intolerabilis aduersariorum importunitas & improbitas singularis. Importunitas quidem quod tanquam æra Dodo-*

nea semel cōmoti non facilè quiescant, & ne victi videantur, inani repetitione antagonistas suos perpetuo obtundunt & à melioribus studijs auellunt. Improbitas verò, quòd quibus sese causæ veritate & argumentorum pondere inferiores esse vident, eos falsis rumoribus & putidis calumnijs obruere & in contemptum odiumque aliorum adducere conantur. Nam quemadmodum Medius quidam Alexandri magni parasitus solebat alios adhortari, ne metuerent quoduis crimen in quemuis intendere: quod vt maximè, *inquiebat*, sanaretur vulnus illius qui delatus esset, maneret tamen cicatrix: *ita huius scelerati præcepti memores aduersarij, quiduis impudenter aduersus pios principes, magistratus, ecclesiastas, comminiscuntur. Quoniam quamuis suas calumnias, quibus innocentes opprimere student, aut iusta defensione aut virili & animoso silentio retegi ac superari posse videant, aliquam tamen ignominiæ* *Apophtheg. Erasmi.*

notam

notam ijs adhæsuram confidunt. Norunt enim verum esse quòd ait vates ille, in vitium credula turba sumus : *norunt quantoperè multorum aures, ad maledicta auidè sine delectu excipienda ac fouenda, pruriant. Quemadmodum prudenter monet Cicero*, nihil tam volucre quàm maledictum : nihil facilius emittitur : nihil citius excipitur : nihil latius dissipatur. *Sed hasce difficultates omnes piorum & prudentum auctoritas & rationes graues peruicerunt. Aiebant enim multos quidem esse in hisce prouincijs doctrina & pietate præstantes viros, quibus ad scribendum nec facultas deesset, nec voluntas: sed otium. Deinde verò ex ordinis in ecclesia constituti ratione, eas molestias ijs potius subeundas, qui in academia certis laboribus occuparentur, quàm ecclesiæ pastoribus, quorum studia varijs & perpetuis ferè ecclesiæ interpellationibus & negotijs interrumpuntur. Addebant præterea*

Ouidius.

Orat. pro Plancio.

fideles, Dei seruos non debere esse tam molles, vt vllo calumniarum metu deterriti, officium deserant: sed ijs contra innocenter & fortiter Christi & Apostolorum exemplo per gloriam & ignominiam, bonam & malam famam, *in veritatis patrocinio esse procedendum. Præterea quamuis Costerus nuperis suis libellis magnum sui cōtemptum apud plerosque ob singularem immodestiam sibi compararit, illius tamen Enchiridium refutationem accuratam multis nominibus promereri. Primùm, quòd publicis & præfixis academiarum Moguntinæ, Coloniensis, Treuirensis, Louaniensis, elogijs comprobatum sit: adeò vt non tam priuatum vnius hominis, quàm publicum præcipuarum Pontificiarum academiarum scriptum, censeri oporteat. Deinde, quòd breuiter & distinctè Pontificiæ religionis quasi nucleum & medullam complectatur, adeò vt nullum hactenus controuersiarum compendium ab aduersarijs editum*

Matth. 10, 25, 26. 2. Cor. 6. 8.

tum

tum videatur accuratius. Præterea quod iam tertiò Latinè recusum & in Belgicum quoque sermonem conuersum in plurimorum manibus verſetur: eoque Pontificij plurimùm nitantur, & infirmiores non ſine periculo attentent. Huc accedit quod Coſterus ad huius operis ſui refutationem, exprobrato ſilentio, Belgas potiſsimùm apertè & publicis ſcriptis tam audacter prouocat. Ac propterea æquum eſſe aiebant, vt & rudiorum ſuccurreretur conſcientiæ, & inſolens aduerſarij iactatio tandem compeſceretur. Æquum denique eſſe vt interim dum doctiſsimi collegæ mei maioribus diſtinentur, ego hunc publicum laborem in me reciperem, præſertim quem priuatim aliquando exercitij gratia à me inceptum, ſed iuſtis de cauſis interruptum, perceperant. Nam quum reliquos Coſteri Belgicos libellos pro ſua egregia eruditione & pietate abundè confutarit D. Greuinchouius, hoc omninò iam requiri, vt Enchi-

ridium

ridium, quo tantoperè aduersarius confidit, & ad quod lectorem perpetuò remittit, ordine confutetur. Nec esse quod me aut molestia operis, aut otij inopia ab officio deterreat, quum paulatim editis distinctis refutationis partibus ecclesiæ exspectationi possit satisfieri. Quamobrem prudentiorum auctoritate & rationibus hisce commotus, eorum voluntati, vt decebat, acquieui: & duos hosce libros priores obseruãtiæ & amoris mei erga Dei ecclesiam argumenta in lucem emitto. Eam autem secutus sum scribendi rationem, quam pij & prudentes, vt spero, comprobabunt. Primùm enim Costeri verba omnia distinctis suis partibus præmisi, partim vt refutatio mea ex collatione mutua melius intelligeretur & veritas illius omnibus magis pateret, partim ne quid de fide mea in citata aut omissa aduersarij sententia ipse conqueratur, aut lector dubitet. Quam etiam viam non solùm Augustinus, Cyrillus, & alij veterum, sed

multi

multi etiam nostra ætate viri grauissimi prudenter secuti sunt. Deinde verò in refutatione vsus sum rationibus & testimonijs diuinis & humanis. Ac diuinis quidem ex Sacra scriptura: tanquam religionis fundamento: quia (vt piè censet Hieronymus) quod de scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *Quem etiam veritatis indagandæ modum in concilio Niceno Constantinus Imperator, maximo totius concilij applausu, præscripsit.* Euangelici, *inquit*, & Apostolici libri & antiquorum Prophetarum oracula perspicuè nos instruunt, quid de rebus diuinis sentiendum sit. Ergo deposita hostili discordia ex diuinitus inspiratis sermonibus quæstionum solutionem sumamus. *Quam pietatem imitati etiam sunt patres concilij Ephesini, qui quum ad hæresim Nestorij expendendam ac tollendam conuenissent, in*

Côment. in Matth. 23.

Theodoretus ecclesi. hist. lib. 1. cap. 7.

cœtu

cætu suo (*vt in literis suis ad imperatores testantur*) propositum habuerunt in throno, qui omninò medius erat, sanctum Euangelium, quod Christum ipsis præsentem ostenderet. *Itaque diuinis vsus sum testimonijs, tanquã certa veritatis regula & quæ Christum nobiscum esse demonstrarent. Humana verò testimonia ijs adiunximus tanquam aduersariorum arma, vt eo plenius & planius confutarentur. Nam quemadmodum Dauid contempta funda instructus Goliathum insolentius minitantem prostrauit primùm, ac deinde ad maiorem victoriæ demonstrationem suo ipsius gladio obtruncauit: ita & Pontificij Sacris literis conuicti, humanis etiam testimonijs, quæ tantoperè iactant vrgendi sunt, vt veræ causæ victoria amplius illustretur. Atque hoc consilio crebras & perspicuas sententias fideliter proposui, partim ex orthodoxis patribus, partim ex celeberrimis Pontificiorum scriptoribus,*

Acta cõcilij Ephesini in Relatione ad reges.

ptoribus, vt inde appareat, quàm grauiter cum antiqua ecclesia & inter se Romana ecclesia dissentiat. Probatio enim (*vt Irenæus recte ait*) vera est & contradictioni minimè obnoxia, quæ ex dictis aduersariorum elicitur. *Atque hic quidem scopus est meus, quem secutus sum: quid verò assecutus sim, ecclesia Christi, cuius seruitio me addixi, iudicabit. Cæterùm quum pro antiqua & laudabili consuetudine, amplissimi & sapientes viri, cogitare inciperem, quibus potissimum meam hanc opellam inscriberem, non magnopere mihi fuit deliberandum. Etenim tam multa & illustria* A.V. *non solùm in academiam vniuersam publicè, sed etiam in me priuatim extiterunt beneficia, vt quum referre nunquam possim, habere tamen & agere semper debeam gratias. Quamobrem vt eò clariùs ac diutius vestrorum erga me meritorum & grati erga* V. A. *animi mei memoria extaret, hunc laborē meum* A.V.

Contra hereses lib.4. cap.14.

iure

iure dedico & vt pro solita vestra humanitate æqui bonique consulatis, etiam atque etiam rogo. Quod reliquum est Deum Opt. Max. precor, vt A.V. consiliis & actionibus præsit; & quam diutissimè ad reipublicæ & ecclesiæ incrementum incolumes & felices conseruet. Lugduni anno Christi CIↃ. IↃ. IC. *Octobris* III. *quo die antè annos* XXV *diuino aquarum beneficio & Illustriss. ac beati* Principis Auriaci GVILIELMI NASSOVII *copiis ab arctissima Hispanorum obsidione liberata est.*

Ampl. V.

addictissimus

FRANCISCVS GOMARVS.

ANTICO-

ANTICOSTERI LIBER PRIMVS,

DE DISCRIMINE HÆRETICORVM ET CATHOLICORVM.

QVISQVIS *operis tui titulũ & prooemium attentè volet obseruare, quid de enchiridio tuo iudicandum sit, Costere, minimè dubitabit. Nam quemadmodum profanarum gentium poëtæ, non veri Dei, sed falsorum numinum, auspicijs, sua scripta exordiri solent; sic tu, non à Christi, sed à Christi matris patrocinio, orationis hoc principium inducis,*

COSTERVS.

POSTQVAM Deo Opt. Max. volente, multi eruditione præstantes viri atque adolescentes summa spe animi & ingenij, sub augustissimo nomine & patrocinio matris Dei, cælorum Reginæ & humani generis

ſingularis aduocatæ, beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ, in ſodalitatem, certis legibus, à S. ſede Apoſtolica comprobatis, ad multorum ſalutem curandam ac promouendam, conuenerunt (quæ ſodalitas iam per vniuerſum fere terrarum orbem propagata, non exiguum fructum peccatoribus conuertendis & hæreticis ad ouile Christi reducendis, diuina gratia reportat) cumque ſodalium ſtudium in eo potiſſimum ſit collocatum, vt priſcam & orthodoxam fidem pro ſua virili parte tueantur, hæreſeſque refellant, eorum autem plerique, vel per ætatem, vel per ingenium, aut eruditionis tenuitatem ſubtiliorum diſputationum minus capaces videantur; viſum fuit operæ pretium ad eorum captum, præcipua religionis noſtræ capita, de quibus hoc tempore cum Nouatoribus controuerſiam habemus, ruditer explicata eis tradere, ſimulque quæ vulgò obijci ſolent diluere; vt, quemadmodum ait
Tit. 1. 9. Apoſtolus, *amplectentes eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, potentes ſint exhortari, in doctrina ſana & eos qui*

contra-

contradicunt arguere: parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem. 1.Pet.3.15.

GOMARVS.

INsignis sanè in Christum contumelia. Quid enim Christiano homine indignius dici aut fingi potest, quàm, & regiam & sacerdotalem Christi dignitatem, aliò deriuare? At tu Costere, dum papalem religionem ornare studes, id minimè reformidas. Nam quum Sacræ literæ perspicuè demonstrent, Iesum Christum vnicum esse Dei & hominum mediatorem, vnicum seruatorem, vnicum Ecclesiæ Dominum & cælestis aulæ Regem: tu verò contra singularē hanc Christi gloriam, sermonis tui auspicio, virgini Mariæ vendicas & adscribis. Hanc enim *cælorum Reginam & humani generis singularem aduocatam* appellas. Nec mirum quum & eo impietatis processerint doctores vestri, vt non solum Christi matrem, Christo in plurimis componant & æquent, sed interdum etiam anteponant. Id quod ex profano illo & celebri Hymno vestro constat, *Nostra* 1.Tim.2.4. Iohan.14.6. Act.4.12. 1.Cor.8.6. Ephes.4.5. Missali Parisiensi.

pians scelera, iure matris impera Redemtori. Ac sanè si quis reliquos eiusdem farinæ hymnos, Psalteria & officia beatæ Mariæ euoluat, nihil tam sublime & sanctum, nihil tam Deo singulare & proprium comperiet, quod non ad virginem Mariam transtulerunt. Et ne longiùs abeam, nonne fidem, spem, charitatem animis indendi, in aduersis seruandi, ac tandē cęlo beandi potestatem Mariæ asscribunt? nonne fide, inuocatione, religiosa gratiarum actione, alijsque diuini cultus priuilegijs eandem venerantur? Atque huc etiam pertinet (vt cætera omittam) egregium illud carmen, imò crimen, quo librum hunc, insigni impietate, virgini Mariæ dedicas & inscribis, & inter cætera sic ais,

Quod quoniā Christi Mariæq́; fauore peractū,
Est libitum nulli tale dicare viro:
Sed maiestati (res iusta) vouere supernæ
Tutelisque sacræ virginis esse datum.
Supplice quocirca prece solicitamus eandem
Incidat in varias hæc vt opella manus.

Est postea in fine.

Hunc vna cupimus dignère pudica libellum
Tutari

Tutari auspicijs virgo parensque tuis.
Personasque libro normaque fideliter vsas
Nos simul Elisijs annumerare choris.

Paris omnino pietatis est Confluentinorum Iesuitarum, quod præfationi subijcitur carmen;

Casta parens, & stella maris depelle tenebras
Sinceramque animis fac radiare fidem:
At nobis, quibus est animus defendere matris
Virgineæ laudes, robur opemque feras.

Vt similes habent labra lactucas? Scilicet maris cura Mariæ demandata est. An verò nondum tam crassæ & supinæ idololatriæ vos pudet? Vnde quæso maris esse stellam didicistis? An ex sacris literis? At in ijs ne γρῦ quidem. An ex nominis ratione? at quis diuinitus id impositum, aut illam huius vocis esse siginificationem, demonstret? pudendus sanè error, qui ex librarij incuria & superstitione vestra promanauit. Nã quod Hieronymus interpretatus est, *Stilla maris*, illud scriptorum errore mutatum est in, *Stella maris*; vt ea, quam spectauit, nominis ratio certò demonstrat & euincit. Nam ים *jam* Hebræis mare: מר *mar* verò non stellam, De nominibus Hebraicis.

ſed ſtillam & guttam ſignificat. Si quid igitur ex nomine eſſet eruendum ſanctius longè diceretur, vt ſtillæ maris, maris amplitudo & vires abſurdiſſimè tribuerentur; ſic virgini Mariæ, Dei creaturæ, creatoris Dei gloria: *Cui omnes gentes quaſi* מַר *mar, ſtilla ſitulæ & quaſi momentum ſtateræ deputatæ ſunt.* Itaque meritò ait Deus, *Gloriam meam alteri non Dabo.* Ac propterea quis non videat, Coſtere, quàm toto aberres cælo, quando eum ſcriptionis tuæ præfigis ſcopum, *vt lectores potentes ſint exhortari in doctrina ſana & eos qui contradicunt arguere?* Nam ſi hæc doctrinæ veſtræ eſt ſanitas, quæ ægritudo? Si lumen veſtrum tenebrę ſunt, ipſæ tenebræ quantæ? Oſtende ſodes hujus erroris veſtri vel apicem in ſacris literis, & aſperſam idololatriæ notam abſterſeris, pijſque rationem poſcentibus, ſatisfeceris abundè. Sed illud tum demum euenturum eſt, quando luci & tenebris conueniet. Quod vt, ex orthodoxæ antiquitatis monumentis, clarius pateſiat, inſignē Epiphanij, aduerſus hanc Mariolatriam & ſanctorum invocationem,

Eſa.40.15.

Eſa.48.11.

nem, locum auctarij vice recensebo; qui licet prolixior sit, tamen propter summam illius præstantiam, & Costeri aliorumque Iesuitarum, in huius operis limine, stupendam & frequentem idolatriam, necessariò præmittendus est. Nam quum *patres, patres*, perpetuò crepent aduersarij; vt Scripturarum auctoritate, sic orthodoxo patrum consensu, obruendi sunt: vt insolentem suam iactationem compescere incipiant. Quare patienter & attentè Epiphanium contra hæreticos, Costeri & Iesuitarum maiores differentem, audiamus. *Vnde* (inquit) *non est simulacrificum hoc studium & facinus, diabolicum? Prætextu enim iustitiæ, semper subiens hominum mentes Diabolus, mortalem naturam, in hominum oculis, deificans, statuas, humanas imagines præ se ferentes, per artium varietatem expreßit. Et mortui quidem sunt, qui adorantur, ipsorum verò imagines, quæ nunquam vixerunt (neque enim mortuæ esse possunt, quæ nunquam vixerunt) adorandas introducunt, adulterante mente ab vno & solo Deo: velut commune scortum, ad multam multiplicis coitus absurditatem irritatum &* Contra hæreses lib 3. Tom. 2. Contra Collyridianos hæres. 79.

 tum &

tum & quod temperantiam legitimi coniugij vnius viri destriuit. Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus: reuera Virgo erat ipsa virgo & honorata; sed non ad adorationem nobis data: sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa, carne genitus est; de cælis verò ex finibus paternis accessit. Et propterea Euangelium munit nos, dicens, quod ipse
Iohan. 2. 4. *Dominus dixerit: Quid mihi & tibi curæ est mulier? nondum venit hora mea: quò non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam virginem, mulierem eam appellauit; velut prophetans quæ futura essent in terra, sectarum & hæresium gratia: vt ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc heresim eiusque deliramenta dilabantur. Est enim ludibrium tota res & anicularum fabula, vt ita dicam, tota hæresis tractatio. Quæ verò Scriptura de hoc narrauit? Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est vas, sed mulier, & nihil à natura immutata: verùm & intellectu & sensu in honore honorata: velut corpora sanctorum & si quid aliud ad glorificationem dixerim, sicut Elias, ex matre virgo, & sic manens in perpetuum, & translatus, & mortem non conspicatus: sicut*

Iohannes,

Iohannes, qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat Iesus: sicut Thecla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterij, qua digna facta est. Sed neque Elias adorandus est, etiamsi in viuis, sed neque Iohannes adorandus, quanquam per preces suas proprias, dormitionem suam admirandam effecerit, imò potius, ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quisquam sanctus, adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viuentem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorauerunt creaturam præter creatorem & stulti facti sunt. *Si enim Angelos adorari non vult, quanto magis eam, quæ genita est ab Anna, quæ, ex Ioachim, donata est Annæ, &c. Carnem induit Deus Verbum ex sancta virgine: non tamen vt adoretur virgo, neque vt Deum hanc efficeret: non vt in nomen ipsius offeramus: non vt post tot secula mulieres sacerdotes ac sacrificulas ostenderet. Non complacuit hoc Deo in Salome fieri: non in Maria. Non permisit ipsi dare baptisma, non benedicere discipulos, non imperare in terra iussit, sed solùm ipsam sanctificationem esse & dignam factam esse* Rom. 1, 25. & 22.

regno ipsius, &c. Sit in honore Maria: Pater & Filius & Spiritus Sanctus adoretur. Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imò neque virum: Deo debetur hoc mysterium. Neque Angeli capiunt talem glorificationem. Deleantur quæ malè scripta sunt in corde deceptorum. Tollatur ex oculis cupiditas ligni: conuertatur rursus figmentum ad Dominum, reuertatur Eua cum Adam, vt Deum colat solùm, ne ducatur serpentis voce,
Gen. 2, 17. *sed permaneat in Dei præcepto*, Ne comedas de ligno: *& erat lignum, non error, sed per ipsum lignum facta est inobedientia erroris. Ne comedat quis de errore, qui est propter sanctam Mariam. Nam etsi pulchrum est lignum sed tamen non ad cibum: Etsi pulcherrima est Maria, & sancta & honorata; at non ad adorationem. Hæ verò rursus renouant fortunæ mixturam & præparant Diabolo & non Deo mensam, velut scriptum est, Et pascuntur cibo impietatis:*
Ier. 7. 17. *velut dicit diuina Scriptura*, Et fœminæ ferunt pollinem, & filij colligunt ligna, vt faciant placentas oleo subactas exercitui cæli. *Compescantur à Ieremia tales mulieres & ne turbent orbem terrarum, ne dicant*, Honoramus reginam cæli, &c.
Siue

Siue enim veluti ipsam adorantes Mariam ipsi offerunt collyridem siue placentam, vanæ istæ mulieres, siue pro ipsa offerre conantur prædictam hanc putidam oblationem, tota res stolida est & aliena & ex dæmonum motu fraus & impostura Quo verò non longius extendam sermonem sufficient nobis relata, Maria in honore sit: Dominus adoretur. Hactenus Epiphanius ante mille ducentos annos Mariolatriam & Costeri societatem & religionem damnauit.

CAPVT I.

Interim an in reliquis veritatis scopum attigeris melius, videamus.

COSTERVS.

CÆTERVM, quo fructuosius sodales cum id genus hominibus versentur, duo præmittenda videntur; quorum alterum ad eos cognoscendos, alterum ad modum cum ijs congrediendi pertinet. Vtrumque enim subinde magnam requirit industriam, dum *angelus Satanæ se transfigurat in angelum lucis: & sermo hæreticorum serpit vt cancer.* 2.Cor.11.14. 2.Tim.2.17.

DE MORIBVS HÆRETICORVM ET CATHOLICORVM.

FATEMVR quidem non omnes catholicos sanctos esse, & hæreticos quosdam, moralis cuiusdam probitatis & honestatis commendatione, bonorum virorũ speciem præ-se ferre: nonnullos catholicos varijs sceleribus coopertos & multos hæreticos à vitijs multis alienos esse. Denique plerosque catholicos feris ac belluinis moribus, blasphemiæ causam præbere infidelibus: & quosdam hæreticos, externa quadam verborum morumque decentia, in sui admirationem & imitationem aliorum animos allicere.

GOMARVS.

DVO, vt apparet, explicanda tibi proponis: vnum est, de moribus hæreticorum & Catholicorum: alterum de ratione agendi cum hæreticis. Quæ vestigia tua ordine lubet persequi. Ac primùm quidem quod Catholici nominis splẽdorem vobis pontificijs adscribis solùm, agis quidem more

more vestro satis confidenter, sed quàm verè, paucis ad rectæ rationis libram examinemus. *Catholici* enim κατ' ἐξοχὴν veteribus dicti sunt, qui ad catholicam, id est, vniuersalem Christi ecclesiam pertinent. Ea autem est fidelium vniuersitas, seu (vt * Patres orthodoxi ecclesiam describunt) *sanctorum omnium congregatio*: & † Pontifex vester ait, *Catholica ecclesia congregationem fidelium comprehendit*. Quare vt doctè & rotundè definit ‡ Augustinus, *boni Catholici sunt, qui & fidem integram sequuntur & mores bonos*: Et * Hieronymus, *Ecclesia ibi est, vbi fides vera est*. Ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα, ecce Rhodus, ecce saltus. Demonstra fidei vestræ integritatem morumque bonitatem; & Catholici nominis honorem vltrò vobis deferemus. Ac de fidei quidem integritate controuersias postea disceptabimus, nunc vero quid de moribus statuas, perpendendum. *Fatemur quidem*, inquis, *non omnes catholicos sanctos, imò plerosque catholicos feris ac belluinis moribus*. Aperta sanè & rei consentanea (vtinam etiam ingenua!) confessio.

* Augustin de vnit. Ecclesiæ cap. 2 & 3. Hieronymus in Iob 26. &c.
† Extra vag. communium lib. 3. de celebr. Missar.
‡ Libro quæst. ex Matth. cap. 11.
* In Psal. 133.

Adeò

De originis erroris lib. 2. cap. 1.

Adeò ipsa veritas, cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit, vt grauiter & verè monet Lactantius. Etenim si quis non solùm Iesuitarum, monachorum, sacerdotum, episcoporũ, Cardinalium, sed etiam summorum Pontificum gesta, animo perlustrarit; nihil hac tua confessione verius comperiet. Quamobrem illustrandæ & firmandæ veritati, breue morum Papalium specimen, ex vestris scriptoribus fideliter expressum ad controuersiam de Pontifice Romano, corollarij loco adiungemus, vt (quod aiunt) ex vngue *leo* & ex hisce indicijs, patrum (vt appellantur) sanctissimorum sanctitas, & sermonis potius, quàm animi tui, veritas, hac in re, cognoscatur. Quippe vt sapienter ait Augustinus; *Etiam non veritate, annunciari veritas potest, id est, vt prauo & fallaci corde quæ recta & vera sunt prædicentur.* Ac sanè, Costere, quum tam protervè orthodoxos in varijs libellis, mendaciorum quasi plaustris impudenter in odium omnium adducere studeas, satis patet, veritatem abs te annunciari hoc loco, non veritate, sed

De doctrina Christia. l. 4. cap. 27.

ſed dolo malo: vt quum in veſtris, quæ negare non potes, ſceleribus, cogente veritate, agnoſcendis, tam apertus videaris, in alijs poſtea falsò accuſandis, parem veritatis opinionem ac fidem tibi concilies. Verùm ne id cauſam, cuius patrocinium ſuſcepiſti, lædat grauius, continuò medicam apponis manum.

COSTERVS.

VERVM quum duplices ſint errores hominum; vni, qui ex præſcriptione doctrinæ ſuſcipiuntur: alteri, qui contra doctrinam quam profitemur, à ſola cupiditate proficiſcuntur; de prioribus nos in præſentia diſputamus: de moribus videlicet Catholicorum, qua Catholici ſunt: quemadmodum medicorum actiones, non quæ vitio quodam & animi prauitate, ſed quę ex arte medendi ab ipſis ſuſcipiuntur, nominamus. Medicus enim, quà medicus, moderatè viuit, tametſi non deſint, qui pro ſua intemperantia, contra normam & præſcriptionem artis, ſtrenuam abdomini ſuo operam nauent.

uent. Porro ad mores proprios hæreticorum, qui nimirum ipsi hæresi comitantur, inuestigandos, oportet animaduertere, qui in omnes, non vnius seculi, sed omnium temporum atque ætatum hæreticos conueniant. Qui enim omnibus, simul atque in hæresin inciderunt communes esse deprehendentur, videntur ab illa non obscurè manare. Quare placet in medio ponere quandam Hæreticorum Catholicorumque inter se pugnantium conflictionem & quasi concursum, vt *ex fructibus eorum*, quemadmodum cælestis magister admonet, *cognoscamus eos.*

Antitheses Hæreticorum & catholicorum.

Matt. 7, 20.

GOMARVS.

NON displicet distinctio. Quare ne acrius Papalis sanctitatis moueamus camarinam, de ijs moribus agamus, qui non ex hominum solùm vitio, sed præcipuè ex doctrinæ contagione promanant: & quæ inter vos & aduersarios vestros, proponis discrimina, perlustremus.

COSTERVS.

PRIMO hæretici ad vnum omnes verbo quidem videntur esse valde Christi saluatoris nostri gloriæ studiosi atque obseruantes; re autem vera penitus gloriam Christi obscurare atque obruere moliuntur. Statim à principio Ebion, Cerinthus & alij nonnulli temporibus Apostolorum, nefarium ac sacrilegum bellum diuinitati Christi intulerunt. Arius & Macedonius eandem eum cum Patre naturam habere pernegauerunt. Monothelitę humana voluntate, Apollinaristæ anima, Manichæi natura humana, Christum spoliauerunt. Nestorius duas in Christo personas, sicut duas naturas: Eutyches humanam naturam in diuinam transfusam esse nugatus est: à quo non abhorrent nostri temporis Vbiquitarij, qui diuinam proprietatem, qua Christus Deus cælum & terram implet, etiam ad humanam eius naturam transferunt. Basilides Christi passionem, Cerinthus resurrectionem, Apelles cum carne humana in cælum 1. Antithesis.

ascensionem, in dubium vocauerunt. Pelagius gratiæ Christi, Berengarius sanctissimo augustissimoque eius corpori, plagam imposuit. Ioannes Wiclephus diuinum Christi corpus in panem, quasi in aliquam artocream, inclusit. Iohannes Hussius, quum omnia, fatali necessitate, euenire crederet, preces, quibus Christi gratia & auxilium imploratur; è medio sustulit. Iconoclastæ, quum imagines, quibus memoriam beneficiorum Christi & pium erga ipsum affectum conseruabant maiores nostri, ex templis conuellebant, non obscurè cum honore & gloria Christi belligerarunt. Illi quoque insigniter contumeliosi in Christum videri debent, qui sponsam eius ecclesiam, omnibus conuitijs & maledictis onerauerunt, & bellum ad eam funditus delendam continenter gesserunt. Quod quidem omnibus, qui fuerunt hactenus, hæreticis commune fuit: quorum alij Ecclesiam *Meretricem Babylonicam*, alij *congregationem excommunicatorum*, alij *idolatram*, alij alijs fœdioribus nominibus appellarunt.

GOMA-

GOMARVS.

NIHIL profectò verius est, quàm quòd Hæreticos omnes gloriam Christi obscurare affirmas; sed non omnes ea nominis infamia notandi sunt, quos perstringis. Arium, Appellem, Pelagium & reliquos, quos ijs præmittis, meritò pij omnes, tanquam grauissimorũ errorum auctores, auersantur: sed quæ de Berengario & sequentibus adiungis, probari non possunt. *Berengarius*, inquis, *sanctissimo augustissimoque corpori plagam imposuit*. Fateor sanè, sed tum demum, quum, deserta turpiter veritate, Nicolai Papæ suscribens errori, confessus est. *panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter, non solum Sacramentum, sed in veritate, manibus sacerdotum* (horreo referens) *tractari, frangi, fidelium dentibus atteri* Antea verò non plagam corpori Christi inflixit, sed sanctè cum * sacris literis, † Augustino & ‡ canonibus vestris iudicauit,

De consecratione dist. 2. Can. Ego Berengarius.

* 1. Cor. 11. 24. 26.
† August. cõtra Adimantium cap. 12.
‡ De consecrat dist. 2. Can. Hoc est quod dicimus.

 panem

panem suo modo vocari corpus Christi, quum reuera sit sacramentum corporis Christi: Dominum non dubitasse dicere, Hoc est corpus meum, quum signum daret corporis sui. Deinde verò quòd Wiclephum, diuinum Christi corpus in panem, quasi in aliquam artocream inclusisse accusas, vnde probabis? At concilium Constantiense reclamat, quod sententiam Wiclephi his verbis disertè proponit, *Christus non est in eodem sacramento identicè & realiter in propria præsentia corporali.* Item, *Quod absque omni ambiguitate hæc est figuratiua locutio, Hoc est corpus meum, sicut illa in verbis Christi, Ioannes est Elias.* Idem etiam infestissimus Wiclephi aduersarius, Guilielmus Widefortus testatur. Tertia calumnia est, quod Iohannem Hussum, omnia fatali necessitate euenire credidisse affirmas: eadem scilicet fide, qua blasphemiam illam eidem & Wiclepho impegistis, * *Deum debere obedire diabolo.* Adeò vt † Hussus non immeritò de accusatorum ac testium calumnijs grauissimè & iustissimè sit conquestus. Quod præterea de Iconoclastis & imaginum cultu,

Sess.8. artic. Wiclephi 3.

Ibidē sess.15.

Contra Wiclephū art. 2.

*Concil Cōstan St. ess.8. art.6.

†Ibid. sess.15.

cultu, hoc in loco & sequentibus profers, postea discutietur. Nec erat quod expostulares de ijs, qui Pontificem & Romanam ecclesiam *meretricem Babylonicam* appellarunt. Ingenui est in rebus grauibus non perplexè loqui: ficus, ficus; ligonem, ligonem vocant. Nec sine exemplo, nec sine Dei verbo. Sic vestri veritate victi (vt * Waldenses etiam demonstrarunt) interdum appellant: sic † orthodoxi Patres: sic ‡ sacræ litteræ; quæ *Babylonicam Meretricem vrbi septicolli regum dominæ*, id est, Romæ, *insidentem* describunt. Quamobrem non est cur amplius conqueraris: aut nostros accuses, nisi grauioribus argumentis causam tuam stabilias. Nam quid quæso tantopere perstringis?

* Responsione, contra literas Augustini.
† Tertull. cótra Iudæos cap. 9. & Hieronymus ad Marcellam.
‡ Apoc. 17. 9. & 18.

COSTERVS.

CERTE nostri seculi hæreses omnes, quamuis pleræque non videantur directò Christum petere, omnes tamen in ipsum sunt iniuriosæ. Virgini Deiparæ matri Christi cæteras mulierculas, etiam contaminatissimas, gratia & sanctitate pares affirmare

(quod post Copronymum fecit Lutherus) valde in Christum contumeliosum est. Negare sanctos, æuo sempiterno in cælo fruentes, preces mortalium audire, atque auxilium, vel precibus apud Deum suis, vel opera sua, ferre nobis posse, non est aliud, quàm surdos ac debiles principes Christo assignare. Arbitrij libertatem cum meritis bonorum operum tollere, non parum efficaciam passionis Christi infirmat. Denique quisquis soli fidei salutem adscribit, iniustitiæ crimine manifestò Deum condemnat. In reliquos errores siquis studiosè velit oculos conijcere, in singulis insignem aliquam Christi iniuriam deprehendet. Neque mirum: sic enim iam inde à principio generis humani futurum Deus pronunciauit, *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius.* Mulieris semen Christus est, & pij illius satu editi Christiani. Ad semen serpentis illi inprimis pertinent, qui nihil penitus cum Christo commune habere volunt, vt infideles omnes, Pagani, Iudæi & hæretici, qui

Gen. 3. 15.

fide,

fide, ſpe, & charitate (quibus homo cum Deo coniungitur) repudiatis, odium, præſumtionem & opinionem aſſumſerunt. Negant enim D. Athanaſius & Epiphanius hæreticos, niſi homonymos, appellandos eſſe Chriſtianos. Orat. 2. in Arian. Hæreſi. 29.

GOMARVS.

GRAVIS profectò Lutheri in Chriſti matrem, ſi vera narras, contumelia eſt: at quum falſa confingas, turpis Coſteri calumnia eſt. Nec enim Lutherus aliud vnquam docuit, poſtquam ex Pontificiarum tenebrarum abyſſo emerſit, quàm omnes homines, excepto ſolùm Chriſto, ſi naturam ſpectes, eſſe *conceptos & natos in peccatis* Pſal. 51, 6. *& iræ Dei filios*: Ephef. 2. 3. ſin Dei gratiam conſideres, fideles donata quidem ſanctitate, pro varia regenerationis menſura, eſſe diſpares; ſed imputata Chriſti ſanctitate & iuſtitiâ pares. Heb. 10. 10. & 13. 12. 1. Cor. 1. 30. Quemadmodum & Paulus ad Romanos ait; *Iuſtitia* Rom. 3. 22. 23. 24. *autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes qui credunt: non enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerunt & deſtituuntur gloria Dei,*

iustificantur autem gratis eius gratia per redemtionem factam in Christo Iesu. Alioqui virginem Mariam gratia dotibusque insignem, præ cæteris mulieribus, extitisse, apertè Lutherus profitetur in eadem concione, ex qua putidam hanc viri magni accusationem instituere soletis. Quare meritò causæ pontificiæ infirmitatem prudentes Lectores vident: quum à fragili calumniarum fundamento subsidium petat. Sed quid præterea adducis argumenti, vt gloriam Christi à nobis impugnari demonstres? *Negare*, inquis, *sanctos æuo sempiterno in cælo fruentes, preces mortalium audire atque auxilium, vel precibus apud Deum suis, vel opera sua, ferre nobis posse, non est aliud, quàm surdos ac debiles principes ac ministros Christo aßignare.* Parciùs Costere. Plus enim tibi assumis, quàm datur, & aliud concludis, quàm iustè sequitur. Ecquis enim orthodoxus concesserit sanctos in cælis esse principes, &, vt alibi exponis, *cum Christo hæc terrena curare & administrare?* nec surdi propterea aut debiles sunt, vt falsò iudicas; quia ad felicitatem eorum id minimè

Postilla in Euangelium natiuit Mariæ. Gregorius de Valentia in Thomam Disp. 1. q. 12. p. 4.

Enchiridio cõtrouers. 12.

minime pertinet. *Abraham*, inquit Esaias, *nesciuit nos & Israël ignorauit nos: tu domine pater noster, redemtor noster, à seculo nomen tuum.* Nec tertium quod obijcis aduersarijs maioris est pretij, *Arbitrij libertatem cum meritis bonorum operum tollere, non parum efficaciam paßionis Christi infirmat.* Imò verò confirmat maximè, vt Apostolus docet; *Non iustificabitur ex operibus legis vlla caro.* Item, *Non abrogo gratiam Dei: nam, si per legem est iustitia, Christus sine causa mortuus est.* & alibi, *Gratia enim seruati estis per fidem; idque non ex vobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur.* Atque hinc perspicuum est, quàm verum sit, quod attexis; *Denique quisquis soli fidei salutem ascribit, iniustitiæ crimine manifestè Deum condemnat.* Hæc enim non in nos, sed in Deum ipsum contumelia est: cuius hæc superioribus consentiens sententia est; *Christum proposuit Deus placamentum, per fidem, in sanguine ipsius, ad declarandam iustitiam suam, per remißionem præcedentium peccatorum.* Item, *Colligimus igitur fide iustificari hominem absque operibus legis.* Quare vides opinor Co-

Esaias 63. 16. Iob. 14. 21.

Gal. 2. 16. & 21.

Ephes. 2. 8. 9.

Rom. 3. 25.

Rom. 3. 28.

ſtere, quàm iniquè orthodoxos accuſes. Propterea ſi cuiquam, vobis ſanè iure meritoque cumprimis conuenit, quod cenſoria quadam virgula apponis, *In reliquos errores, ſi quis ſtudioſè velit oculos conijcere, in ſingulis inſignem aliquam*
Gen.3.15. *Chriſti iniuriam deprehendet. Nec mirum ſic enim iam inde à principio generis humani futurum Deus pronunciauit; Inimicitias,* inquit, *ponam inter te, & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius.* Adde Coſtere, quæ ſequuntur, & per vos etiam, antiquum illum ſerpentem, Chriſti calcaneo inſidiatum, imo caput ipſum appetijſſe, comperies. Sequitur enim, *Ipſum conteret caput tuum.* Quem locum ad fucandam veſtram idolatriam in ſacroſancta ſcilicet verſione veſtra, turpiter corrupiſtis: vt etiam ex veſtris Doctoribus poteſt probari. *Ex falſa traductione* (inquit Franciſcus Georgius minorita) *qua habetur,* Ipſa conteret caput tuum, *Latini communiter attribuunt hanc victoriam Reginæ cælorum. Quæ licet ſublimior ſit, quàm dici queat, dabimus tamen victori triumphum hunc, cui ex veritate literæ, debetur, vbi habetur;*

Problematis Tom. 1. problem. 55.

habetur; Ipsum conteret caput tuum. *Ipsum videlicet semen mulieris, quod Christus fuit.* Nec satis fuit Latinos codices corrupisse, etiam Hebræos sacrilega manu vitiare quidam studuerunt. Testantur id Biblia operis regij interlinearia quibus genuina lectio הוא peruersa est in ה° ה (legendum הִוא) ipsa: addito circulo variæ lectionis nota, ac si esset antistoichia vau pro iod. Quam profanam audaciam, qui secundæ eiusdem operis editioni præfuerunt detestati, veram & Spiritus sancti lectionem pristinę integritati restituerunt. Verùm ne in gloria Christi minuenda, cæteris Pontificiorum doctoribus esses inferior, non solum in *libello sodalitatis* hanc de Christo sententiam ad Mariam in præfatione tua transtulisti; sed etiam vt idolatria vestra esset conspectior, profana pictura, in editione Antwerpiana, & in Enchiridio tuo Coloniæ ante excuso, in fronte & titulo libri præmisisti. Vnde perspicuè apparet, quantum fidei mereatur alterum primæ antitheseos tuæ membrum, quò vestrorum hominum (quos falsò Catholicos

tholicos nominas) mores, ex aduerſo deſcribis.

COSTERVS.

CATHOLICI contrà, vt filij ſponſæ, in Chriſti ſponſi gloriam, omnes conatus & ſtudia conferunt: vnde non ipſius perſonam modò, ſed ea quoque omnia, quæ ipſum quoquo modo attingunt, ad maiorem ſponſi gloriam, piè venerantur; Matrem, miniſtros, imagines, ſacramenta, paſſionem, merita, vicarios, &c. Hinc tot ſacræ ceremoniæ, tot dies feſti, tot templa, *tot* altaria, tot monaſteria, tot vota, tot peregrinationes, tot ieiunia & bona opera, tanta maiorum obſeruantia, tam humilis obedientia.

GOMARVS.

INSIGNE profectò elogium, *in Chriſti gloriam omnes ſuos conatus conferre*! verùm ſi *Chriſti perſonam, officia, beneficia, cultum, ſponſam*, varijs modis violare, gloriam illius illuſtrare eſt, fatebor equidem libens meritóque, vobis huius ſtudij laudem, cum primis

primis deberi. Nam, si *personam* spe-
ctes, sacræ literæ vnicum Christi cor-
pus agnoscunt, quod vi spiritus sancti,
ex virgine Maria formatum, non iam
in terra, sed in cælo, seruata veri corpo- Col. 3. 1.
ris natura, contineatur, ac mente non Ioh. 6. 35.
dente percipiatur: vos contrà alterum & 63.
etiam reuera affingitis, quod à sacer-
dote, ex pane transsubstantiatione fa- Concil. Trident. sess. 13. cap 4.
ctum, non in cælo tantùm, sed etiam
in solo & contra veri corporis naturam Augustin. Ep. 57. ad Dardanum.
pluribus in locis existat: nec mente
tantùm, sed etiam dente tangatur De consecrat. dist. 2. Can. Ego Berengarius.
frangatur & atteratur. Nec maiorem
triplici Christi officio honorem exhibetis.
Nam si *propheticum Christi munus* consi-
deres, nonne sacris Christi literis Pon-
tificum sententiam & decreta adæqua-
tis, imò præfertis? nonne eas imperfe-
ctionis arguitis, & traditionum huma-
narum additione violatis? si neges,
prima, de sacra scriptura, controuersia,
fidem faciet. Sin *Christi sacerdotium* at-
tendas, nonne dignitatem, nonne mu-
nia illius sanctis & sacerdotibus vestris
indignè communicatis? Etenim sacræ
literæ Christum talem nobis sacerdo-
tem

Heb.4.15. & 26. tem deſcribunt, qui ſolus natura &
Rom.3.23. vita perfectè ſanctus ſit: eoque à reli-
Pſal.51.6. quis omnibus hominibus, quippe na-
Epheſ.2.3. tura peccatoribus & iræ filijs, ſit ſecre-
tus: vos contrà hanc geminæ ſanctita-
tis, cum naturæ, tum vitæ, dignitatem,
virgini Mariæ: alteram verò, etiam
reliquis quibuſdam ſanctis, contra ſa-
crarum literarum ſententiam, vendi-
catis. Deinde quum ſacerdotij Chriſti
munia ſint, vnicum ſacrificium corpo-
ris ipſius, & meritis ſuis nixa interceſſio:
Heb.7.24. vtrunque ſoli Chriſto deberi ſacræ
Heb.9.12.26. literæ teſtantur, quæ vnicum *illum*
1.Tim.2.4. noui teſtamenti ſacerdotem, vnicam
Heb.7.25. 1.Ioh.2.1.2. corporis illius, & quidem cruentam,
oblationem, quæ ſola & perfectè pec-
cata diluat; vnicum denique mediato-
rem, qui meritis ſuis Patrem pro nobis
interpellet, agnoſcunt & prædicant.
Vos contrà ea partim vobis, veſtriſque
monachis & ſacerdotibus, partim cæ-
litibus aſcribitis. Nam infinitos pene
ſacerdotes Chriſto adiungitis & Sacri-
ficium corporis Chriſti, non figuratè
(vt quidam Orthodoxi loquuntur) ſed
propriè ab ijs iterari, tertiari, imò quo-

tidie

tidie & incruentè repeti, ad peccatorum remiſſionem promerendam, ſtatuitis. Deinde Chriſti merita & ſatiſfactionem eneruatis, quum ſatisfactiones humanas & ſanctorum merita, ad iram Dei placandam, cum Chriſto concurrere, docetis. Interceſſionis etiam Chriſti præſtantiá tollitis, quum ſanctos etiam, ſuis meritis, pro nobis intercedere affirmatis. De *regno* denique quid Chriſto ſupereſt, quod non à vobis violatum? Sacræ literæ ſtatuunt, Ieſum Chriſtum vnicum eſſe dominum, regem, & protectorem noſtrum: reliqua omnia noſtra: vos contrà Virginem Mariam (vt ſanctos taceam) cælorum reginam, dominam veſtram, & Aſylum prædicatis, vt antea demonſtraui. Sacræ literæ docent Chriſtum eſſe vnicum Eccleſiæ ſuæ Legiſlatorem & Magiſtrum, cuius ſolius voci in cultu Dei obtemperandum eſt: veſtri contra Pontifices, hanc auctoritatem, imò plenam in omnia poteſtatem ſibi vendicant & aſſcribunt. Nec officia ſolùm Chriſti, ſed etiam *beneficia* ijs parta, conſpurcatis. Nam ſacræ literæ

1. Cor. 8. 6. Epheſ. 4. 5.

Iac. 4. 12. Matth. 23. 8.

Chriſtum

Ioh. 14. 6. Act. 4. 12. Christum reuera vnicum esse Iesum, hoc est, seruatorem asserunt: qui nos solus seruet, obedientiæ suæ merito, & spiritus sui efficacia, qua certis gradibus, meriti participes facit, vocatione ad fidem, iustificatione, sanctificatione, conseruatione, & glorificatione. Quid verò Pontificij? nonne hæc propria Christi beneficia, partim minuunt, partim alijs communia faciunt? Ac minuunt quidem varijs modis: Primùm, quum miseriam, vnde à Christo liberamur, mirificè extenuant. Nam sacræ literæ clamant, omnia peccata mereri mortem: vos contra quædam, natura sua, venialia statuitis. Sacræ literæ, inculcant, nos esse *natura* * *filios iræ*, † *hostes Dei*, ‡ *obscurata mente*, * *tenebras*, *adeo* † *vt sapientia Dei nobis videatur stultitia, ad cogitandum aliquid boni* (quod ad verum Dei cultum pertineat) *omnino ineptos*, *cordibus obduratis ac lapideis*, *mortuos* denique in *peccatis*: *sola verò Christi gratia* * *regenerari*, † *fide illustrari*, ‡ *viuificari*. Vos verò non mortuos peccato, sed semiuiuos & imbecilles tantùm esse traditis: quasi Christi gratia præeun-

Rom 8. 29. 1. Cor. 1. 30. 31.

Deut. 27. 27. Rom. 6. 23.

* Ephes. 2. 3. † Rom. 5. 10. ‡ Eph. 4. 18. * ib. 5. 8. † 1. Cor. 2. 14. 2. Cor. 3. 5.

Eph. 4. 18. Ezech. 26. 36. Eph. 2. 1.

* Ioh. 1. 13. † Eph. 1. 13. ‡ Eph. 2. 5.

præeunte & adiuuante, reliquis liberi arbitrij viribus, ad fidem & salutem assurgamus. Secundò etiam Christi seruatoris beneficia minuitis, quum purgatorium illius sanguinem, non pro omnibus peccatis nostris & pœna debita, plenè satisfecisse; sed nobis etiam temporalem aliquam pœnam (qua iudicio Dei satisfiat) vel in hoc seculo, vel in purgatorio vestro, persoluendam affirmatis. Atque hisce potissimùm rationibus, beneficia Christi apertè minuitis: nec minuitis solùm, sed in eorum etiam, quæ Christo relinquitis, societatem, non minori flagitio alios aduocatis. Quippe fidem, reconciliationem, sanctificationem, conseruationem, glorificationem Virgini Mariæ (vt de reliquis interim taceam) quemadmodum vulgò, sic carminibus, hymnis, & scriptis vestris, attribuere, non erubescitis. Hinc ex tenebris Pontificijs de Maria ait Bernardus, *Vocatur Regina misericordiæ, quod diuinæ pietatis abyssum, cui vult, ac quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire.* Profana omninò sentētia! adeò verum

1. Ioh. 1. 7.

Concil. Trident. Sess. 6. Can. 30.

Sermone 1. super Salue Regina.

eſt quod de Bernardo quidam iudicarunt, *vbi bene, nemo melius: vbi malè dicit, nemo peius*. Quare quàm ſanctè beneficiorum Chriſti gloriam illuſtretis, quis non videat? præſertim quum *cultus Chriſti* eadem ſit ratio: quem mirificè à vobis lædi, non tam confirmationem deſiderat, quàm deteſtationem. Primùm enim alienum Chriſto cultum, & quem apertè repudiat, exhibetis. Nam ſacræ literæ aſſerunt, *nihil*
Gal.5.6. *in Chriſto valere, præter fidem per charitatem efficacem:* at Pontificij neutrum ſyncerè obſeruant. Siquidem ſalutis *fiduciam* temeritatis inſimulant, & dubitationem in illius locum ſubſtituunt. Deinde charitatis & cultus Chriſtiani normam, non in ſolo Dei verbo, ſed bona ex parte in ἐθελοθρησκείᾳ & Pontificum voluntate collocatis. Atque hinc, vt tecum loquar, *tot apud vos*, ſuperſtitioſæ & ineptæ *ceremoniæ*, *tot dies feſti, tot templa ſanctis*, cum Dei dedecore, *dicata, tot altaria, tot monaſteria, tot vota, tot peregrinationes, tot ieiunia* præter Dei verbum inſtituta: addo, tot imagines, ad cultum contra ſecundum
legis

legis Diuinæ præceptum prostitutæ, tanta missarum pompa & varietas, tot sacramenta à vobis excogitata, aliaque superstitionis vestræ opera (in quibus proram & puppim diuini cultus constituitis) emanarunt. Nec alienum tantùm Christo tribuitis cultum, sed proprium etiam ad alios traducitis. Solus enim cum Patre & Spiritu sancto, fide, spe, inuocatione, religiosa gratiarum actione colendus est; quia verus Deus, cui ista propria. Vos verò pleraque hæc sanctis, omnia verò Mariæ virgini, larga quod aiunt manu, attribuitis: vt ex superioribus constat. Quibus firmandis addo, ex infinitis vestris blasphemijs, pauca ex vita sancti vestri Anselmi, cui ascribitur oratio hoc titulo, *Inuocatio matris virginis simul & Filij*. Sic enim ad finem, Maria Christo exæquatur; *Ille bonus filius hominis, venit perditum sponte saluare: & Mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Bonus ille filius hominis, venit vocare ad pænitentiam peccantem: & mater Dei num contemnet peccantem, in pænitentia? sed etsi pariter ambo offensi estis, non & ambo clementes*

Præfatione operum Anselmi editorũ Noribergæ ann. 1481.

estis? Fugiat ergo reus iusti Dei, ad piam matrem misericordis Dei: refugiat reus offensæ matrisque ad pium filium benignæ matris. (Ergone Christus mediator apud matrem? ô tempora! ô mores!) *Ingerat se reus vtriusque, inter vtrumque: inijciat se inter pium filium & piam matrem. Pie Domine, parce seruo matris tuæ: pia domina, parce seruo filij tui: qui me inijcio inter duas tam immensas pietates, non incidam, inter duas tam potentes seueritates. Bone Fili, bona mater, non sit mihi frustra quod confiteor de vobis hanc veritatem: non erubescam quod spero in vobis hanc pietatem. Dic mundi iudex cui parcis? dic mundi reconciliatrix, quem reconciliabis? si tu domine damnas, & tu Domina auersaris homunculum, bona vestra cum amore, mala sua cum mærore, confitentem?* Talis etiam impietatum abyssus & sacrarum literarum fœdissima peruersio in sancto vestro Bonauentura elucet, qui omnes Psalmos Dauidis, expuncto Dei nomine, Virgini Mariæ accommodauit, non solum non prohibente, sed etiam probante Pontificiorum consensu. Denique ne quid Christo superesset integrũ etiam

sponsam

sponsam illius Pontifici vestro subiecistis: qui, iustum Christi sponsi nostri zelum nihili æstimans, non solùm se caput Ecclesiæ, sed ecclesiam quoque suam sponsam appellat, & dominium in eam exercet. I nunc Costere, & vos *sponsæ filios & gloriæ Christi studiosos* gloriare. Sed de hisce in controuersiarum disceptatione plura.

Decret sexto lib. 4. tit. 23. cap. 4.

CAPVT II.

Quare absoluto prioris antitheseos examine, ad alteram progredior: quæ ex contrario in Pontificem animo existit. Alij oderunt & oppugnant: Pontificij amant & venerantur. De priori membro sic ais:

COSTERVS.

FVIT semper proprium Hæreticorum, Christi vicarium D. Petri successorem (quem constituit Dominus super vniuersam familiam suam, gubernare & regere agnos & oues suas) impetu quanto possent maximo oppugnare. Princeps ille hæreticus Simon magus, quantum negotij

2. Antithesis.

Cypr. lib. 1. Epist. 3.

Actor. 8.

D. Petro, primo Pontifici Romano, facessit? Quas non machinas ad euertendum S. Cornelium Nouatiani commoliti sunt? quàm indignè S. Liberius ab Arianis in exilium proiectus fuit? Quibus non iniurijs & contumelijs illa Arianorum Episcoporum ad Felicem epistola referta est? Donatistæ (teste D. Augustino) cathedram Romanam appellitabant *cathedram pestilentiæ.* Berengarius Romanos episcopos, vt in eos ex pompæ fastusq. nomine odium populi commoueret, ignominiosè *Pompifices* appellare solebat. Nostri temporis Hæreticis persuasum est, *Pontificem Romanum esse ipsissimum Antichristum:* à quo, Catholicis Papistarum nomen imponunt; sicut olim Aëtiani, Antiquariorum. Istud porro tam graue odium in sedem Romanam, ex eo causam habet, quòd videant, illa stante, noua sua dogmata necessariò ruere debere. Si enim iussu Christi homo iste constitutus petra Ecclesiæ, accepit potestatem, de omnibus religionis quæstionibus iudicandi & dogmata fidei contraria notandi, iam sibi nullum in Ec-

Recognit. Clement.

Lib. 2. contra liter. Pet. c. 9.

Greg. Tur. de Glor. Mart. lib. 1. cap. 80. Epiph. hæres. 99.

in Ecclesia Dei locum, vbi consistant, relictum esse facile intelligunt.

GOMARVS.

AVDIO splendidam Pontificis, quem Christi vicarium & D. Petri successorem appellas, descriptionem; qua rudiorum animos studes circumscribere: sed fraus suis locis detegetur. Omitto quod perperam vulgi errorem secutus, Petrum, *Diuum* appellas: nisi forte ἀποθέωσιν illius nobis probes. Præterea etiam quòd Liberium Papam (quem orthodoxi Patres Arianis subscripsisse testantur & Liberius ipsemet suis literis demonstrat) sanctum nominas. Nam id fortasse à vobis excusari posset, vt Glossa vestra Benedictum vndecimum, qui Bonifacium octauum, *bonæ memoriæ Papam* appellauit. *Sed*, inquit Glossa, *quæro, quidam Papa ex actionibus improbis, simonijs, & turpiloquijs ecclesiam fœdauit, vt hic, numquid propter dictos actus posset dici, malæ memoriæ? Dic, quod non: quia respici debet, non ad id, quod fecit; sed ad id, quod ipsum facere decuit.* Et vt alibi Glossa distinguit,

Turnebus aduersar. lib. 28. cap. 6.

Vide Hilarij, ex opere Historico, fragmenta.

Extrauag. cómun. lib 5. De Schismaticis.

Ibid. lib. 1. de Maioritate cap. 1.

guit, *Sanctus non persona, sed statu.* Cæterùm iniquè facis, quod Arianorum & Donatistarum factiones, cum Berengarij & Orthodoxorum zelo æquas: non secus, ac si cum antiquis impiorum hominum, in pios prophetas & sacerdotes maledictis, iustam Christi, Ioannis Baptistæ & Apostolorum in Pharisæos libertatẽ, comparares. Quid enim Berengarius à vero alienum protulit? an quod Pontifices vocauit *Pompifices?* At considera quæso paulisper triplicem Papæ coronam, vestium splendorem, vniuersam pompam & fastum plusquam Persicum; quid aliud inde iudicabis? Res ipsa loquitur. Itaque ingenuè ad Eugenium Papam, non hostem, sed amicum & olim discipulum suum, Bernardus; *Inter hæc tu pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oues quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quàm ouium pascua hæc. Scilicet sic factitabat Petrus: sic Paulus ludebat. Vides omnem Ecclesiasticum zelum feruere sola pro dignitate tuenda: honori totum datur, sanctitati nihil aut parum.* Idem paulò post, *Petrus hic est, qui nescitur*

De consideratione lib. 4.

nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, vel tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum; Si amas me, pasce oues meas. In his successisti non Petro, sed Constantino. Et tu Costere Pontifices, *Pompifices* esse negabis? Sed audiamus quid amplius accuses? *Nostri*, inquis, *temporis Hæreticis persuasum est, Pontificem Romanum, esse ipsissimum Antichristum.* Imò persuasum est orthodoxis, & ex sacris literis copiosè & solidè à multis demonstratum. Frustra ergo conquereris, quod inde *Papistarum* nomen vobis imponunt: quum ad Pontificis potius, quàm ad sacrarum literarum præscriptum, fidem & vitam componatis: vt pluribus suo loco ostendetur. Quare erras grauiter, quod ais; *Tam graue odium in sedem Romanam, ex eo causam habet, quòd videant, illa stante, noua sua dogmata ruere debere.* Imò verò, quod videant illa stante, sacrarum literarum auctoritatem & veritatem indignissimè conculcari & ecclesiæ salutem impediri. Nec

quicquam nos mouet quod ſubdis; *Si enim iuſſu Chriſti homo iſte conſtitutus petra Eccleſiæ, accepit poteſtatem de omnibus religionis quæſtionibus cognoſcendi, de nouis doctrinis & ſectis iudicandi, & dogmata contraria fidei notandi, iam ſibi nullum in Eccleſia Dei locum, vbi conſiſtant, relictum eſſe facilè intelligunt.* Quippe non alio nobis opus eſt reſponſo, quam eo, quo Lacedemonij olim Philippo Macedonum Regi, non valde diſſimili conditione, minitanti, ſolùm reſcripſerunt, *SI*, Nam falſiſſimam eam eſſe, quam hîc ſtatuis hypotheſin, poſtea in *controuerſia* de Romano pontifice apparebit. Atque hæc de priori antitheſeos membro. Quid verò in altero, ad veſtram probitatem commendandam, adducis?

Plutarch. de garrulitate.

COSTERVS.

CONTRA verò Catholici, quanti ſemper Apoſtolicã D. Petri ſedem fecerint, diuinæ literæ & veteres hiſtorici teſtantur. Cornelius ſe ad D. Petri genua proiecit. Eccleſia Hieroſolymitana totas noctes, pro eius ſalute & liberatio-

Act. 10. 25.

Act. 12. 5.

beratione, Deo supplicauit; quum sequenti die ad necē producendus esset. D.Paulus honoris causa venit Hierosolymam videre Petrum: cum quo & cum Iacobo atque Ioanne, qui cæteris dignitate antecellebant, euangelium, quod prædicabat, communicauit. Illi enim non modo erant, sed etiam (δοκοῦντες) tanquam præ reliquis illustres & conspicui, videbantur esse columnæ; hoc est, summa veneratione & obseruatione, tanquam principes & optimates Ecclesiæ, colebantur. Quo loco sanctissimi doctissimique viri Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Hieronymus, Pontificem habuerint, testantur illorum epistolæ & scripta, in quibus amplissimè honorificentissimeque de Romano episcopo loquuntur. Imperatores & Reges Christiani muneribus & officijs suum erga Pontifices animum testificati sunt. Constantinus & Carolus magnus Italia Pontificem & diademate ornauerunt: Luitprandus Longobardorum, & Pipinus Francorum Reges, hic Stephani Secundi, ille Zachariæ Pontificis Gal.1.18.

equum

equum venerabundus manu sua pedes duxit. Agnoscunt nimirum & venerantur Catholici Christum, in suo vicario, & in summi beneficij loco ponunt, hominem in terris humanæ fragilitatis participem relictum, cui Filius suam potestatem impartiuit.

Chrisostomus lib. 3. de Sacerdotio.

GOMARVS.

AMPLVM potestatis & pompæ Pontificiæ encomium! *Catholicos semper magni Apostolicam D. Petri sedem æstimasse*: sed erras, Costere, quum sedem Petro asscribis, quæ Episcopis conuenit, qui certis locis astringuntur; non Apostolis, qui omnibus gentibus destinati ac missi sunt. Sed quomodo sententiam probas? *Cornelius Centurio se ad D. Petri genua proiecit*. Fateor: sed quid illud ad Petri sedem? Deinde, vel hinc liquet, Pontificem non Simonis Petri, sed Simonis magi potius vestigijs inhærere. Nam ille, vt Simoniæ hostis, sic à superbia alienus, centurionem demissius, quàm par erat, ad pedes accidentem, erexit, & immodicum honorem hac sententia repressit, *Surge*;

Matth. 28. 19. Act. 1. 8. Gal. 2. 9.

Act. 10. 26.

nam

nam & ego ipse homo sum: hic verò, vt Spiritus sancti dona mercari, sic tandem, pro Deo haberi, & coli voluit. Nec longè secus Papa Romanus, qui vt habet *venalia* omnia *sacra* & *Deum* ipsum (vt Baptista Mantuanus monachus ante annos centum conquestus est) sic Dei & humanæ sortis oblitus, pedem suum Principibus, Regibus, Imperatoribus, intolerabili & inaudita superbia, osculandum præbet. Qua de re Christophorus Marcellus episcopus Corcyrensis, ad Leonem decimum Pontificem Romanum, ait; *Electus imperator, vt primùm Pontificem videt, detecto capite illum, genu terram tangens, veneratur: & iterum, quum appropinquat ad gradus sedis, genu flectit: demum ad Pontificis pedes peruenit, illos in reuerentiam Saluatoris deuotè osculatur. Pontifex hilari vultu Cæsarem aspiciens, ad osculum manus & oris recipit. Tum Cæsar iterum genuflexus, auri massam ad pedes Pontificis offert, habetque verba ad Pontificem, gratias agens pro honore suscepto, prout ei videbatur. Pontifex benignè illi respondens, illum subleuat, & summæ charitatis declaratione amplectitur. Et*

Act. 8. 19.

De Calamitatibus temporum lib. 3.

Sacrarũ Cæremoniarum Romanæ ecclesiæ lib. 1. sect. 5. cap. 3.

tur. Et ſtante ibi ad dextram pontificis Cæſare, Pontifex recipit Imperatorem ad oſculum pedis & manus: Regem verò, ſi quis adeſt, ad oſculum pedis, manus, & oris: alios autem prælatos, proceres, & nobiles Cæſaris, ad oſculum pedis tantùm. Sic etiam Durandus Mimatenſis Epiſcopus ait, *Illud quoque vacare non creditur myſterio, quòd ſummus Pontifex ſeptem modis accipit oſculum: videlicet ad os, ad pectus, ad humerum, ad manus, ad brachia, ad genua, ad pedes.* Huc accedit, quòd ſupra naturæ humanæ conditionem impotenter ſe attollit Pontifex Romanus, vt cum aliunde, tum ex Gloſſa veſtra in Clementinarũ procemium apparet; *Papa,* inquit, *id eſt, admirabilis, quia vices Dei interris gerit. Inde dixit ille Anglicus poëta, in poëtria noua;*

Rationali diuinorum officiorum lib. 4. cap. 53.

Papa ſtupor mundi.

Et circa finem; —— qui maxima rerum

Nec Deus es, nec Homo, quaſi neuter es inter vtrumque.

Papæ, quale ergo monſtrum Papa eſt! & quantum à Petro diſſidet? qui, ne plus iuſto honoraretur, ſe *etiam hominem eſſe* Cornelio centurioni prædicauit.

Act. 10. 26.

uit. Deinde verò quòd Romanum Episcopum olim à viris sanctissimis & doctissimis honoratum gloriaris, esto: *fuere quondam strenui Milesij*: quid ad hæc tempora? Verum est illud, *Heroum filij noxæ.* Nam quemadmodum antiquorum regum & patriæ pàtrum ornamenta & laudes, tyrannis posteris; & priscorum ac piorum sacerdotum, Aaronis & similium, laudes, Caïphæ & Annæ improbis successoribus, minimè conueniunt: sic nec vestri Pontifices veterum Episcoporum honores (à quorum doctrina & moribus defecerunt) vlla ratione promerentur. Deinde verò nunquam Patres illi tantam Romano Episcopo auctoritatẽ, quantam confingitis, tribuerunt. Qua de re audiatur Hieronymus instar omnium, *Si auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est & Sacerdotij: potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit: cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.* Tom. 2. Ep. ad Euagrium.

Sed di-

Sed dicis quomodo Romæ ad testimonium diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vendicas? Porro à patribus ad posteres descendis; *Imperatores*, inquis, *& Reges Christiani, muneribus & officijs suum erga Pontifices animum, testati sunt:* sed summam vicissim ingratitudinem, in ijsdem tandem compererunt. Addis; *Constantinus & Carolus magnus Italiæ pontificem & diademate ornauerunt:* sed de priori secus omninò, inter alios demonstrauit ex Pontificijs vir doctissimus Laurentius Valla, & *fictæ illius* Constantinianæ donationis fabulam, solidis rationibus euertit: frustra reluctante Eugubino. Idem præstiterunt olim Nicolaus de Cusa Cardinalis li. 3. De concordantia Catholica capite 3. Hieronymus Pau. canonicus Barcinonensis cubicularius Alexandri VI. Pontificis in Practica Cancellariæ Apostolicæ, ac sententiam suam non solùm rationibus, sed etiam Papæ Pij contra Constantini donationem Dialogo, confirmauit. Præterea Raphaël Volaterranus

De ficta donatione Constantini.

terranus in vita Constantini, & doctissimus Pontificiorum historicus Guicciardinus lib. 3. & 4. Historiæ, quemadmodum hi loci, fraude omissi, in historia, tandem Basileæ prodierunt anno 1569. Plura siquis desideret, consulat Fasciculum rerum expetendarum pag. 81. De Carolo verò Magno & Pipino honestius potuisses tacere: adeò id honori vestro detrectat. Nam vt Pontifex Romanus regnum Galliæ summa iniuria legitimo regi Childerico & posteris illius ereptum, Pipino Childerici subdito tradiderat, & firmarat; sic Pipinus pari iniuria Imperatorem exarchatu (cuius partem Longobardi occuparant) spoliauit & adiunctis quibusdam alijs vrbibus, Papæ, gratitudinis ergò, dedit: & Carolus confirmauit & auxit. Quàm iniquissimam donationem, falsò Constantini liberalitati ascribitis. Quare non mirum est, si *Pipinus Stephani Papæ*, Tyrannidis suæ auctoris & fautoris, *equum, venerabundus*, vt ais, *duxit*. Nempe vt clarius constaret, quænam sit Babylonica illa meretrix, quæ, idololatriæ suæ

Martinus Polonus Episcopus supput. anno 751.

Apoc. 17. 2.

D poculo,

poculo, inebriat reges terræ. Quem insolentem fastum agnouit tandem & vetuit Papa Cælestinus quintus: de quo, præcipuus Pontificum propugnator, cogente veritate, ita loquitur, *Fertur edixisse, ne deinceps Romani pontifices & Cardinales veherentur equis & mulis, sed tantùm asinis, Christi, cuius vicarij esse vellent, exemplo. O legem nunc prodigiosè euersam!* Sed quam reformationis huius gratiam à Bonifacio octauo retulit? *Per cannam* (ait cum reliquorum Pontificiorum historicorum consensu) *deceptus est (voce tanquam cælitus missa) insonantem, vt desereret pontificatum, & Bonifacium institueret.* Cæterum miror cur non etiam alijs Paparum honoribus, præclarum illud Alexandri tertij Papæ facinus adijcias, quod cum ab alijs, tum à Iacobo Philippo Bergomense monacho recensetur, *Isto igitur* (inquit) *fœdere inito, Alexander summus pontifex confestim ad ianuas templi Diui Marci Euangelistæ accessit, & ibidem, vniuerso astante populo, Imperatori iussit, vt se humi prosterneret & veniam denuò expostularet. Quo facto, Alexander pontifex imperatoris collum pede compri-*

Genebrardus chronicorum lib. 4. anno 1294.

Supplem. Suppl. chron. pag. 299.

comprimens, ait; scriptum est, super aspidem & Basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem. *At Fredericus; Non tibi*, inquit, *sed Petro, cui successor es, pareo. Et summus Pontifex ait; Et mihi, & Petro.* A qua insolentia Antichristiana, non abludit, quod addis; *Agnoscunt nimirum & venerantur Catholici, Christum, in suo vicario, & in summi beneficij loco ponunt, hominem in terris humanæ fragilitatis participem relictum, cui Filius Dei suam potestatem impartiuit.* Venerati sanè sunt nonnulli, non tamen religione id factum est, sed superstitione & contumelia in Christum & magistratum singulari. Ac propterea iugum Pontificium non immeritò olim Philippus pulcher Galliarum rex, & multi Romani imperatores, excusserunt. Nec enim Christus, summus nimirum & solus noui testamenti sacerdos, in eo munere, parem agnoscit, aut vicarium. *Si quidem alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco, quòd morte probiberentur permanere: hic autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Deinde nec summam po- Heb. 7. 23. 24.

testatem suam vlli mortalium communicauit, aut communicare potuit, quum ea Christo conueniat qua θεάνθρωπος Deus-homo, generis humani mediator & ecclesiæ rex. Verùm hæc vestra est religio, vt diuinam Christi potestatem & gloriam, ad Pontifices vestros, audacter deriuetis. Quod vt melius appareat, & huius sententiæ tuæ detegatur impietas, Glossam vestram interpretem audiamus, *Christo data erat omnis potestas in cælo & in terra, Matth. 28. Ergo summus Pontifex, qui est eius vicarius, habebit hanc potestatem.* Et paulo post, ex Hostiensi episcopo; *Item quod Iesus Christus filius Dei, dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturaliter dominus fuit, & de iure naturali in Imperatorem & quoscunque alios depositionis sententias ferre potuisset & damnationis, & quascunque alias, vtpote in personas quas creauit, & donis naturalibus & gratuitis dotauerat & conseruabat Et eadem etiam ratione, & vicarius eius potest. Nam non videretur Deus discretus fuisse (vt cum reuerentia eius loquar) nisi vnicum post se vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset.* Hæc scilicet est sum-

Extrauag. cōmun lib. 1. de Maiorit. & obed cap. 1. Vnam sanctā.

est summa illa, & (vt vulgò appellatis) *plenaria* Romani pōtificis *potestas*, quam boni, scilicet, vestri Catholici tantopere extollunt ac pertimescunt. Sed contrà Christus & Petrus, (quorum nominibus indignissimè ad fucandam Pontificiam Tyrannidem abutimini) præceperunt. Contrà etiam Bernardus, alioqui superstitioni in multis addictior, docuit: contrà fecit. Hinc præclara & trita illius ad Eugenium Papam censura, *Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans, Apostolatum; aut Apostolicus, dominatum.* Verùm ne sine auctoritate saltem loqui videaris, adducis ad oram huius loci Chrysostomum lib. 3. de Sacerdotio: sed mala, vt soletis, fide. Nec enim de aliquo Pontificis priuilegio, & summa in omnes mortales potestate (quam probandam suscepisti) sed de communi sacerdotum ministerio, in peccatorum remissione (Pontificis Romani nulla prorsus facta mentione) orationem instituit. Denique si Tyrannidis Pontificiæ metum, aut gratiæ emolumentum tollas, qualis

Matth. 22. 21. 1. Pet. 5. 3.

De consideratione ad Eugenium lib. 2.

quæso Pontifici Romano, ab ipsis Romanis exhibetur honos? Hoc demonstrat satis crebra & ferina, in Pontificum cadaueribus violandis, crudelitas: quam vt referre ex vestris Historijs facile; sic sine horrore referre difficillimum. Quamobrem ex ijs, quæ à nobis hactenus explicata sunt, satis constat; nec eos omnes esse hæreticos, qui Pontificem Romanum oppugnant; nec verè Christianos & Catholicos, qui Tyrannidem illius probant ac tuentur.

CAPVT III.

Cæterùm an tertiam hæreticorum & Catholicorum antithesin rectius definias, & quid primùm de aduersarijs tuis scribas, audiamus.

COSTERVS.

3. Antithesis.

VETVS est Hereticorum consuetudo Episcopos, Presbyteros, & clerum Catholicũ vniuersum, varijs modis insectari. Nemo enim, vel leuiter in ecclesiasticis historijs versatus, ignorat, quibus damnis,

Bern. Ep. 195. Petrus Cluniac. 2. Epist. 2. Nicet. lib. 5. Thesau. 34.

ignomi-

ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs ac susplicijs orthodoxi Episcopi ab Arianis & Iconoclastis Imperatoribus exagitati. Quomodo enim æquis oculis intueri possent eos, quibus Christus clauem scientiæ commendauit, atque in concilijs negotia religionis diiudicandi potestatem fecit?

GOMARVS.

HÆRETICOS ab orthodoxis contrario in catholicos Episcopos & presbyteros studio distinguis, *ac veterem hæreticorum consuetudinem esse* ais, *quòd catholicos Episcopos varijs modis insectentur*. Sed quid illud ad rem? nec enim, nos quos accusare tamen voluisti, hæretici, nec vos orthodoxi, vt audacter tibi arrogas, quod maxime controuersum, ac primùm probari oportuit. Deinde, quòd crudelitatem nobis affingis & impingis, id non solùm vestrorum hominum & sacrificulorum apud nos vitæ securitas, sed & vestra, ab aliquot seculis, in acerbissimis infinitorum piorum episcoporum, & aliorum Christianorum supplicijs, plusquam bellu-

 ina

ina immanitas, abundè & perspicuè refutat. Vix enim tot belli tempestas, longo temporis tractu, inuexit funera, quot breui momento Inquisitionis vestræ carnificina trucidauit. Specta mihi vel solam Galliam, an laniena Parisiensis & vicinarum vrbium meminisse posses, vt, seruata fronte, non assentiaris? Omitto singulis penè Belgij vrbibus, præsertim sub Albano Tyranno, numerosam piorum Dei seruorum turbam, exquisitissimis cruciatibus, furca, ferro, flumine, flamma, religionis veræ odio, crudelissimè enecatam. Quòd verò à vestris sacrificulis *ita* abhorreamus, non ea est causa, quam falsò prætexis, *quòd Christus ijs clauem scientiæ commendarit*: sed quòd eam
Luc.11.52. Pharisæorum instar, Christum exosi, sustulerint, nec ipsi in regnum cælorum intrent, & intrare conantes, obnixè impediant & impetant crudelissimè. Deinde etiam quòd omni flagitiorum genere & morum turpitudine ecclesiam corrumpant, & summam Christiano nomini conflent infamiam. Quod non minus verè quam ingenuè
in con-

in concilio Tridentino Bauariæ ducis orator conquestus est; *Clerus*, inquit, *noster, gulæ libidinibúsque indulget, ac quasi velit, in contemtum Dei hominúmque, omni genere vitiorum se coopertum potius palam cognosci, quàm minima aliqua in re emendatum animaduerti. Vt cætera Cleri vitia, quæ cum populo communia habet, taceantur; at certè, libido illa nimis libera, atque notoria, propter quam is nunc potißimè infamis est, à plebe, irritatóque populo alienißima esse iudicatur.* Denique quæ de conciliorum auctoritate attexis, ea commodius suo loco, discutientur. Interim, qua ratione Pontificij vestri, erga Catholicos ecclesiæ episcopos & presbyteros affecti sint, videamus.

Liber nomin. & cognom. patrum concil. Trident. & oratio... à Legatis habit.

Libro 2.

COSTERVS.

QVOD quum probè teneant Catholici, mandatum Apostolicum ante oculos habentes, obediunt præpositis suis, & subiacent eis, quos sciunt à Spiritu sancto positos esse, regere Ecclesiam Dei: neque conturbant eos vitia episcoporum & Cleri (quæ nunquam defuerunt in concionatoribus hæreti-

Heb. 13. 17.

Actor. 20. 28.

corum grauiora) quòd ſciant poteſtatem, non ſanctitati, ſed homini datam, vt Chriſti erga nos beneuolentia teſtatior eſſet & illuſtrior: qui ad populi ſui conſolationem, etiam per malos & flagitioſos miniſtros, gratiam ſuam voluerit, ad animos noſtros, permanare. Et eſto, ſint plerique rectores populi mali, nullum tamen inde boni capiunt detrimentum, niſi vel impietatem Iudæ ſanctis Apoſtolis vel impuritatem Nicolai Antiocheni reliquis ſex diaconis, vel quarundam leuium fæminarum turpitudinem, honeſtiſſimis *prudentiſſimiſque* matronis, fraudi ac crimini fuiſſe dicere velimus.

GOMARVS.

AVDIO quid in Pontificijs collaudes, Coſtere, ſed errorem veſtrorum hominum agnoſco duplicem. Prior eſt vitæ; quòd in traditionibus humanis & varijs ſuperſtitionibus, vobis ducibus, contra Dei mandatum
Matth.15.13.14. Hebr.13.7. parent. Præpoſitis enim, ex Apoſtoli ſententia, obediendum eſt, non quibuſuis; ſed ijs, qui verbum Dei docent.

Alioquin

Alioquin oracula ista Christi obseruanda sunt; *Cauete vobis à fermento* (hypocriseos & doctrinæ) *Pharisæorum.* *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Alter verò error est iudicij, quòd præteritis & spretis veris Dei seruis, illos à Spiritu sancto ecclesiæ Dei præfectos opinantur, qui bona ex parte in ecclesiam aut irruperunt aperta vi, aut malis artibus irrepserunt. Idque ex Pontificum vitis & vsu communi constat. Quibus accedit grauissimum Bernardi, sancti vestri, testimonium: qui, ex aduersaria Pauli descriptione, Pontificum mores graphicè ad Eugenium Papam depingit & seriò hac seuera increpatione expostulat, *Numquid ad eum* (Paulum) *de toto orbe confluebant ambitiosi, auari, simoniaci, sacrilegi, concubinarij, incestuosi & quæque huiusmodi monstra hominum, vt ipsius Apostolica auctoritate, vel obtinerent honores ecclesiasticos, vel retinerent?* Sed excipis; *sint plerique rectores populi mali, nullum tamen inde boni capiunt detrimentum:* sanè tum demum, quum eiusmodi pastorum vocatio legitima est, & doctrina sana. Quorum prius quum plerisque

Matth. 16. 12.
Matth. 15. 14.
De consid. lib. 1.

que

que vestrum desit, alterum vero omnibus: grauissimum auditores, ex contagione Pontificia, damnum patiuntur. Ac propterea à Clericis vestris non vt *catholicis* pendere, sed tanquã à *cacolycis*, lupis grauibus ac rapacibus, Christo & Paulo monitoribus, fugiendum.

Matth.7.15. Actor. 20.29.

Capvt IV.

Verùm à clericis vestris, ad monachos delaberis, & quartam antithesin, contrario hæreticorum & Catholicorum in eos studio, definis.

Costervs.

4. Antithesis.

Antiqvæ intercedunt inimicitiæ hæreticis cum monachis, & religiosam vitam professis. Tametsi enim veteres hæretici, Waldensium & Wiclephi secula præcesserint, qui singulari monachorum odio primi monachatum impugnarunt, omnes tamen fuerunt capitales monachorum hostes. Non tacent historiæ, quid egerint in hoc genere, per suos circumcelliones, Ariani & Donatistæ. Queritur B. Augustinus mona-

In Psal. 132.

chos

chos à Donatiſtis & circumcellionibus multis conuitijs laceratos eſſe, ſeque à Petiliano grauiter redargutum, quòd illud vitæ genus inſtituerit. Multa præterea monachorum domicilia, veterum hæreticorum immanitate, vel penitus euerſa, vel hominibus nudata fuiſſe, antiqua literarum monumenta teſtantur. Neque id mirum videri debet, quum illud genus, non modò vitæ ſanctitate, impuros hæreticorum mores condemnet; ſed etiam tanquam præcipua & nobiliſſima eccleſię membra, fidem orthodoxam & doctrinam catholicam firmius retineant, doceant ac tueantur, hæreſeſque acrius inſectentur, & ieiunijs, pœnitentijs, orationibus, concionibus, ſcriptionibus, tanquam machinis quibuſdam, facilius feliciuſque expugnent: Siquidem hæreſes omnes, quibus hactenus Reſpublica Chriſtiana fuit conflictata, monachorum Deoque dicatorum hominum ſtudio potiſſimùm conciderunt.

Lib. 3. contra lit. Petil. c. 40.

GOMA-

GOMARVS.

Math. 15. 9. Deut. 4. 2. & 5. 32. Col. 2. 18. 23.

Augustin. de moribus Eccl. Cathol. lib. 1. cap. 31. Vide Vitas Dominici & Francisci.

Epistol. ad Leon. x, & Concil. Lateran. de reformandis morib.

ANTIQVÆ, (inquis) *intercedunt inimicitiæ hæreticis, cum monachis & religiosam vitam professis.* Sed quam mihi religionem nominas? falsamne quæ superstitione; an veram quæ εὐσεβείᾳ vero Dei cultu definitur? verus autem Dei cultus est, qui verbi diuini auctoritate & norma instituitur. At Monachatus vester hominum traditione & ἐθελοθρησκείᾳ fictaque humilitate & vana corporis afflictione, non sacrarum literarum præscripto, nititur. Quare ad falsam, non ad veram religionem, pertinet. Deinde verò iniquè monachos vestros, primis illis comparas: à quibus, latissimis superstitionis, otij, & impuritatis finibus, disterminantur. Itaque quod odij in monachos vestros causam in hæreticorum confers impuritatem, qui monachorum sanctitatem & eruditionem ferre nequeant, id sane à ratione & rei veritate alienum esse experientia & communes querelæ vociferantur. Sed hoc loco suffecerit Francisci Pici comitis Mirandulani

viri

viri doctissimi & Pontificij ad Leonem decimum expostulatio; *Quid* (inquit) *aliud Pater sanctissime: quid nam aliud nobis intelligi dedere? quàm sacras ædes & templa lenonibus & catamytis: quàm nefarijs lupis optimi pastoris ouilia demandata: quàm virginibus olim dicata plerisque in vrbibus septa, in meretricios fornices & obscæna latibula fuisse conuersa?* Hisce similia ante quadringentos & quinquaginta annos conquestus est Bernardus Morlanensis monachus Cluniacensis: conquesti sunt alij innumeri, & indies querelarum tristissima materia. Nec te latet, quum omnes rumusculos ita studiosè captes, quàm horrenda monasteriorum scelera, lustratis in Anglia & Belgio monasterijs, retecta sint. Quare non est cur vobis amplissimos illos honores quos monachis apud vos delatos gloriaris, magnoperè inuideamus. Ais enim:

De contemptu mundi.

COSTERVS.

QVO animo fuerint catholici erga monachos, testantur per vniuersum orbem maximis sumtibus exædificata

Augustin. lib. 2. de Genesi contra manich. cap. 23.

ficata fructibusque vberrimis dotata monasteria pene innumerabilia: testantur honores, quibus affecti, & insignes immunitates, quibus ad vitam quietius ducendam, à Regibus & Imperatoribus donati fuerunt.

GOMARVS.

VERVM vtinam, Costere, summam illam profusionem in veros Dei seruos & pauperum numerosam turbam potius conuertissetis, minus superstitionis & plus pietatis ac dilectionis haberetis. Nam præterquam, quod vestra monasteriorum institutio, hominum placitis solùm nixà, à Dei verbo aliena est, eorum certè innumerabilis illa, quam tantoperè extollis, copia, prudentioribus omnibus Pontificijs semper displicuit. Nam vt alios, quos referre possem, præteream, audiatur Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis & celeberrimus Pontificiorum scriptor; *Primò* (inquit) *videtur, quòd tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat: quæ inducit ad varietatem morum & quandoque ad contrarietatem &*

De reformat. Ecclesiæ cap. de reform. Relig.

tem & repugnantiam obseruationum, & sæpe ad singularitatem, & ad superbiam & vanā extollentiam vnius status super alium. Et maximè videtur necessarium, quod diminuerentur religiones ordinum mendicantium, quia tot sunt, & in numero conuentuum, & in numero suppositorum, vt eorum status sit onerosus hominibus, damnosus leprosorijs & hospitalibus, ac alijs verè pauperibus & miserabilibus indigentibus, (quibus conuenit ius & verus titulus mendicandi) ipsis quoque curatis parochialibus: & si bene consideretur etiam præiudicialis omnibus Ecclesiæ statibus, & specialiter huiusmodi religiosis intolerabilis, & eorum professioni contrarius.
Reliqua quæ à Cardinale vestro seuera animaduersione redarguuntur, quamuis, dignissima sint, quæ omnium oculis exponantur, ea tamen, ne propositæ breuitatis limites excedam, præteribo. Itaque honores illi, quibus monachos vestros affectos commemoras, vt Regum & Imperatorum zelum & opes ostentant, sic deplorandam veri ignorationem & superstitionem arguunt: dum hominum traditiones, sacrosanctis Dei mandatis æquarunt, & muni-

ficentia sua, cælum redimere, à monachis delusi, studuerunt. Nec quicquam probat Augustini, quem citas, locus lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 25. quum nullam omnino Monachorum faciat mentionem. Sanè si memoria, aut aliorum indicio lapsus es, ignoscendus est error: sin lectorem fallere studuisti, agnoscenda est etiam hoc in loco mala vestra in Patribus citandis fides.

CAPVT V.

Interea verò ad sequentem Antithesin quintam progrediamur.

COSTERVS.

5. Antithesis. EST præterea illud commune hæreticorum omnium studium, vt in sacramenta & ecclesias catholicorum sint iniurij: idque duplici nomine, tum, quòd eorum communionem defugiant; tum, quòd sacra eorum, sacrilega impietate, detestentur. Et quidem nonnullos hæreticos (qui ex professo damnant religionem nostram & apertum bellum gerunt contra

contra ſacrificia, ſacramenta, reliquaque myſteria catholicorum) non eſt mirum demoliri templa, confringere imagines, & id genus alia committere ſacrilegia: ſed Donatiſtas, Arianos, & reliquos qui iſtos errores non ſunt profeſſi, non minus quàm cæteros, in ſacra omnia debacchatos fuiſſe, mirandum videtur. Narrat Optatus, ſanctiſſimum Chriſti corpus canibus à Donatiſtis obiectum, & vitream pyxidem, cum ſacro chriſmate, per feneſtram, in aceruum lapidum, miſſam. Lib. 2. Ariani, quum nullum ſacrilegij genus in Catholici nominis odium & deteſtationem prætermitterent, ſacrum etiam Chriſti ſanguinem, in terram effundere, non dubitauerunt; congruenter ſanè viſioni D. Antonij, cui per viſum demonſtrati fuerunt muli alteria diſturbantes: quos ipſe, Arianos fore, prædixit. Ea videlicet eſt natura hæreſis, quum ſit doctrina dæmoniorum, illa omnia velle abolita, quibus aliquis Chriſto (*qui conterit caput ſerpentis*) honor defertur.

Chryſ. Ep. 1. ad Innocentiũ & Hom. 1. in 1. ad corinth.

D. Atha. in eius vita.

GOMARVS.

SIT ſanè, vt affirmas, commune hæreticorum omnium ſtudium, vt in ſacramenta & Eccleſias Catholicorum ſint iniurij: quid nos attingit, Coſtere? Quippe nec Catholicos vllo modo, nec Pſeudo-Catholicos Pontificios iniuria vlla, lædere ſtudemus. Illorum enim ſacramenta & eccleſias, meritò in pretio habemus & obſeruamus: horum verò ſacra, diuina auctoritate ducti, fugimus ac deteſtamur. Sequimur
1.Cor. 10.14. enim Deum præcipientem, *Fugite ab*
2.Cor.6.17. *idolorum cultu. Impurum ne attingite, tum ego excipiam vos & ero vobis Pater, & vos eritis mihi filij ac filiæ, dicit Deus omnipotens.*
Gal.1.8. *Etiamſi nos, aut Angelus, è cœlo Euangelizet vobis, præter id quod vobis Euangeli-*
Apoc.18.4. *zauimus, anathema eſto. Exite ex ea,* (Babylone) *popule mi, ne participes ſitis peccatorum & ex plagis eius accipiatis.* Nec mirum eſt ſacrificia veſtra oppugnari,
Heb.7.23.24. quum ea perſpicuè vnico Chriſti ſacrificio & meritis illius (quæ nobis vita noſtra debent eſſe cariora) repugnent. Ac propterea infamem ſacrilegij notam

tam non meretur, ſed ſacro Dei mandato conſentaneum eſt, quòd magiſtratus noſter orthodoxus, aras & imagines veſtras, ad Dei & ſanctorum cultum, turpiſſima idololatria, proſtitutas, comminuit ac diſſipat. Quòd verò de Donatiſtis & Arianis hæreticis ſubijcis, nos minimè lædit. Interim fidem in citandis patribus videamus. *Narrat*, (inquis) *Optatus, ſanctiſſimum Christi corpus, canibus à Donatiſtis obiectum*: imo verò quamuis figuratè ſic Patres interdum loquantur, hoc tamen in loco, non corpus, ſed *Eucharistiam profuſam* Optatus narrat. Cuius ſanè violatio reos omninò ſancti corporis facit: quum ſacramenti iniuria, in rem ſignificatam redundet. Etſi quoque nonnulla de Chriſmate fiat mentio, nihil id tamen ad veſtrum Chriſma, quo moribundos inungitis, omninò pertinet; ſed ad vnctionem, quæ tanquam athletis, contra Satanam luctaturis, Baptiſmo, præter Dei verbum, adhibebatur. Eoque, quum hic næuus ſit veterum, notandus eſt, non imitandus. Similiter quæ de Arianorum ſce-

Gen. 17. 13. 14. 1. Cor. 11. 27.

Victor vticen-sis hist. persec. Vand. lib. 3. &c. scribus recenses, facilè credent, qui veterem historiam obseruarint, sed *ijs* quæ ex Chrysostomo adducis testimonijs, iterum fidem tuam in Patribus adferendis non immeritò suspectam reddis. Nam prius ex homilia 1. in 1. ad Corinthios testimonium, omnino vanum est: quum nihil tale contineat: alterum verò ex epist. 1. ad Innocentium deprauatum est. Non enim Arianos eius sceleris arguit Chrysostomus: sed Theophili Alexandrini episcopi milites, rectæ quidem fidei; sed non rectæ vitæ. Denique quod ad *fontem* 1. Tim. 4. 1. *malorum aperiendum subijcis, ea natura est hæresis, quum sit doctrina Dæmoniorum illa omnia velle abolita quibus aliquis Christo*, (qui conterit caput serpentis) *honor defertur:* id verum agnoscimus, & in vestram doctrinam summo iure orthodoxi scriptores retorquent. Siquidem Paulus apostolus doctrinam dæmoniorum definit, prohibere coniugium, vrgere abstinentiam à certis cibis: quæ non solùm veteribus hæreticis, sed Pontificijs etiam, ad amussim conuenire res ipsa demonstrat. Vos

enim coniugium, quod *in omnibus honorabile esse* Apoſtolus teſtatur, monachis & ſacerdotibus veſtris non ſolùm prohibetis, ſed intolerabili etiam impietate, ſcortatione peius affirmatis. Sic enim (vt alios, quos referre poſſem, omittam) anteſignanus veſter ait; *Eſt maius malum, ſic nubere, quàm fornicari: quia qui ita nubit, reddit ſe inhabilem ad votum ſeruandum, quod non facit, qui fornicatur.* Quantò verius & ſanctius Bauariæ ducis legatus in concilio Tridentino liberè pronunciauit: *requiri vt more primitiuæ eccleſiæ docti mariti & ad docendum inſtructi admittantur ad ſacros ordines: præſertim verò ad prædicandum & amplificandum populo verbum Dei. Legis enim diuinæ quum non ſit, vt oporteat hominem ſacerdotem eſſe cælibem, ſiquidem conſtet veterum monumentis atque hiſtorijs, maritos ſacris ordinibus initiatos eſſe, & non modo ad ſacerdotij dignitatem, ſed etiam ad ſublimitatem Epiſcopi peruenire.* Deinde verò non ſolum contra Dei verbum coniugium prohibuiſtis, ſed carnis etiam abſtinentiam, certis diebus, contra Chriſtianam libertatem, & vnici legiſlatoris

Heb. 13. 4.

Bellarminus lib. 2. de monachis ca. 34.

Vid. lib. nominum Patrum concilij Trid. & orationum à legatis habitarum.

Dei honorem, ad cultum Dei, præscripsistis, & vsum illius summi sceleris loco habendum iudicatis. Præterea quàm varijs & indignis omnino modis honorem Christi violetis, iam antea copiosè demonstraui. Et tamen non desinis vestrorum hominum pietatem hac ratione commendare.

Cap. 1. & 2.

COSTERVS.

NON sic Catholici, qui quo vehementiùs pietati dediti fuerunt, hoc plus operæ, studij ac sumtuum in Ecclesiarum ornatum cultumque *diuinum* muneribus, veneratione, ceremonijs ad diuini nominis gloriam populique deuotionem augendam impenderunt. Nobilissima vasa sacra, magnificè & pretiosè factas statuas, Constantinus Magnus, temporibus Syluestri Pontificis templis donauit: sumtuosis vestibus variaque supellectili templa per vniuersum orbem terrarum, maiorum nostrorum pietate, instructa atque ornata videmus.

GOMA-

GOMARVS.

SANE si pietas traditionum humanarum splendore definiri debet, meritò in ea ecclesiæ vestræ primas tenent: sin vero Dei mandata fidei & charitatis Christianæ norma sunt, non aliunde clariùs superstitio & impietas vestra demonstrari potest. *Nam quis consensus templo Dei cum idolis?* Honor Dei & Christi non arbitrario cultu, sed obedientia definitur. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. quoniam quasi peccatum est ariolandi, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Quum vero de nobilissimis vasis sacris tantopere glorieris Chrysostomum censorem audias, *Perdiscamus* (inquit) *igitur Christum Iesum philosophari & ipsum ex voluntate sua honorare. Nam quòd honoratur, eo maximè honore lætatur, quem ipse voluit; non quem optamus. Sic Petrus Christum honorare credebat, si eum à lotione pedum prohibuisset: quod certè contrarium*

2.Cor.6.16.
Col.2.23.
1.Sam.15,22,23.
In Matthæum. Hom.51.

erat. Pariter tu etiam ita eum honora, vt ipse vult: expone diuitias tuas pauperibus. Non est opus vasis, sed animis aureis. Hinc Bonifacius martyr *interrogatus, an liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere? respondit, Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc contra lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* Nec antiqui solùm, qui in clariori luce versati sunt, ita iudicarunt; sed etiam ex medijs Pontificiorum tenebris, Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis superstitionem vestram quam adeò celebratis, minuendam iudicauit. *Ait* enim; *Circa huiusmodi reformationem, quæ necessaria est, prouidendum esset, quòd in diuino seruitio, non tam onerosa prolixitas, quam deuota & integra breuitas seruaretur: quòd in ecclesijs non tam magna imaginum & picturarum varietas multiplicaretur, quòd non tot noua festa solennizarentur, quòd non tot noua ecclesiæ ædificarentur, quòd non tot noui sancti canonizarentur.*

Cõcil. tom. 2. Concil. Tribunensi. c. 19.

De reformat. Ecclesiæ § de refor. Prælat.

CAPVT

CAPVT VI.

Sed à templorum lapideorum pompa, ad Dei viuentis ſpiritualem domum, & templum Spiritus ſancti tranſeamus & ſextam antitheſin perluſtremus.

COSTERVS.

HÆRESES omnes inducunt vitæ laxitatem, aliæ quidem ex profeſſo id ipſum docentes, vt Gnoſtici & Ebionitæ, qui improbarunt virginitatem: Waldenſes, qui obedientiam maioribus debitam ſuſtulerunt: Circumcelliones, qui homines ad ſibijpſis manus violentas inferendas inſtituerunt: Manichæi & maiores ipſorum, diſcipuli Simonis magi, qui omni turpitudine & obſcœnitate vitam hominum commaculauerunt. Poſſunt his adiungi noſtri Anabaptiſtæ, quibus vxores communes ſunt: & illi, qui in nouam Henrici Nicolai amoris domum ſe dicauerunt, qui vt ſibi ſuiſque bene proſpiciant in aliorum facultates & poſſeſſiones inuolare dicuntur.

6. Antitheſis.

2. Pet. 2. & Ep. B. Iudæ.

GOMA-

GOMARVS.

ANTIQVVM obtines Coſtere. Nam, quum ſextam hæreticorum & Catholicorum repugnantiam morum diſſidio definias, improbos alijs, probos vero pontificijs aſſcribis; eadem vſus veritate & candore, quo ſuperioribus antitheſibus. *Hæreſes* (inquis) *omnes inducunt vitæ laxitatem*: & earum duas conſtituis ſpecies: quarum prior ſit eorum, qui ex profeſſo illud docent: ijſque Waldenſes annumeras: qui (vt obijcis) obedientiam maioribus debitam ſuſtulerunt. Ac ſanè ſi accuſare ad victoriam ſufficit, præclarè aduerſarios deuiciſti: ſed probationibus eſt opus. Nam vnde tandem id demonſtrabis? Contrarium enim Waldenſes in profeſſione fidei ſuæ ad Vladiſlaum Hungariæ regem apertè profitentur. Et in Excuſatione contra literas doctoris Auguſtini aiunt, *Quæcunque ſtatuta cognoſcimus non eſſe contra iuſtitiam ea facimus: quæ ſi & ex magna parte contra iuſtitiam forent, ſi poſſimus aliquo tamen modo, vti eis ad iuſtitiam, ipſis vtimur ad bonum*

Cap. de Ecclesia sancta.

ſenſum

ſenſum. Quid ſanctius dici potuit? an illud eſt obedientiam maioribus debitam auferre? Huc accedit Aneæ Syluij Pontificis Romani in Bohemica hiſtoria conſenſus: qui quum ordine & accurate Waldenſium doctrinam recenſeat, huius tamen, quam affingis, improbitatis nullam omninò facit mentionem. Itaque, ſi hæc nouiſti, inſignis eſt accuſationis tuæ impudentia; ſin ignoras & veſtrorum hominum calumnijs temere fidem accommodas, magna imprudentia eſt: vtrumque verò, bono ac ſapienti viro indigniſſimum. Quæ præterea de Manichæis, Anabaptiſtis, Henrico-Nicolaitis, & ſimilibus hæreticis recenſes eccleſiam noſtram reformatam non attingunt: quum & communes illi ſint aduerſarij, & fortius ac crebrius à noſtris refutati, quàm vt cuiquam poſſit eſſe obſcurum. Itaque progrediemur.

Cap. 35. pag. 105, &c.

COSTERVS.

ALIÆ ſectæ quamuis nihil eiuſmodi præ ſe ferant, neque quicquam ex profeſſo & inſtituto vitioſum doceant,

doceant, ex ſpiritu tamen profeſſionis, vitæ diſſolutionem coniunctam habet. Teſtes ſunt Ariani, Donatiſtæ, Iconoclaſtæ, Huſſitæ & plures alij: qui licet de moribus vitioſis verbum nullum fecerint, vniuerſum tamen terrarum orbem, ſeditionibus & bellis perturbauerunt, libidinibus inquinauerunt, immanibus ſacrilegijs violauerunt & iura omnia diuina atque humana *inexpiabili* ſcelere polluerunt. Nihil de factionibus & impoſturis erroneum docuerunt Ariani & Donatiſtæ: at, Deus bone, quæ turbæ, *quanta barbaries*, quanta crudelitas hæreſin *ſtatim* ſecuta fuit?

GOMARVS.

QVEMADMODVM à prioris ſectæ ſtudio alieni ſumus, ita non minus profectò ab huius quam oppugnas contagione immunes eſſe comperies, ſi ſemoto aduerſarij animi præiudicio rem ipſam perpendas. Verùm quum pro Romanæ Eccleſiæ more Huſſitas, & plures alios (quibus nominibus Orthodoxos grauas), ſeditionis accuſas,

audire

audire mihi videor ſeditioſorum Iudæorum contra Paulum & Silam clamorem, *Hi ſunt qui orbem perturbant:* & Achabi vocem, *Tune es ille qui conturbas Iſraëlem?* Liceat igitur nobis cum Elia reſpondere, *Non ego turbaui Iſraël ſed tu & domus Patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini & ſecuti eſtis Baalim.* Sic enim ſe res habet: vos à vero Dei cultu defeciſtis, & homines innocentes ac pios ferro flammaque perſecuti, coëgiſtis tandem aduerſus crudelitatem veſtram iuſtè ſe tueri. Quæ verò de libidinibus & ſceleribus recenſes, ea rei veritas & Pontificiæ ſanctitatis collatio ſatis ſuperque refutabunt. Quare ad cauſas hæreſium, quas exponis, attendamus.

Act. 17. 6.
1 Reg. 18, 17, 18.

COSTERVS.

HVIVS rei cauſa hæc eſt, quod ſpiritus erroris, gratiam Dei tollat; qua qui priuatus eſt, in omne vitiorum genus præceps ruit: neque ſolùm gratia ſpoliat, ſed alibi quàm in Eccleſia, alijſque medijs, quàm Chriſtus inſtituit, ſalutem quærere docet. Quemadmo-

admodum ergo gentiles sua sapientia
Rom.1.28. & Iudæi lege Mosaica confisi, teste diuo Paulo, *traditi sunt in reprobum sensum:* quia sine Christo, extra Ecclesiam, beatitudinem se consequi posse sperauerunt: quemadmodum viatores à recta via aberrantes, quo cupiunt non aspirant: sic hæretici quum iter aliud ac deberent ingrediuntur, quò longius procedunt, eò deteriores euadunt: & tantum abest, vt eò, quò intendunt perueniant, vt ad metam planè contrariam tandem deducantur. D. Paulus concionatores hęreticos, appellat *Spiritus erroris*; & hæreses, *doctrinam dæmoniorum.*
1.Tim.4.1. Nam sicut dæmonum studium est ad grauiora semper peccata hortari atque impellere; ita hæritici hoc sibi proprium officium ac munus sumsisse videntur, deterioribus mentem imbuere, & per eos malè affecta voluntate, in grauiora scelera miseram animam protrahere. Vnde recte D. Augustinus: *Et omnes quidem hæretici scientiæ pollicitatione decipiunt & reprehendunt eos quos simpliciter credentes inuenerint & quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium*

lium oculorum apertionem conantur adducere, vt interior oculus excæcetur.

GOMARVS.

EST sanè, vt rectè mones, hæc *doctrina Diabolica*, & hæresium ac scelerum multorum origo apertissima, quòd *spiritus erroris non solùm gratia spoliat, sed alibi quàm in Ecclesia, alijsque medijs quàm Christus instituit, salutem quærere docet.* Nam vt alia omittam, considera quæso ecclesiæ Romanæ ἐθελοθρησκείαν & infinitam illam superstitionem, nihil verius comperies. Hinc tanta apud vos monasticarum religionum, quibus æternæ vitæ meritum arrogatis, colluuies: tanta in ceremonijs vestris, aqua benedicta, campanis, palmarum ramis, cineribus, agnis Dei, & cæteris idololatriæ instrumẽtis fiducia: adeò vt illa tanquam salutis causas præter & contra Christi institutum & dignitatem extollatis, & pretioso Christi sanguine, summo scelere, adæquetis. Quod ita vsu profano & scriptis protritum est, vt non tam probatione nostra, quàm ipsorum exstirpatione indi-

geat. Etenim si quis superstitionum earum copiam amplissimam requirat, perlustret modo *Pastorale* ad vsum Romanũ accommodatum, & Archiepiscopi Mechliniensis iussu anno superiore Antwerpiæ editum: euoluat Guilielmi Durandi mimatensis Episcopi *Rationale diuinorum officiorum*: &, *Sacrarum ceremoniarum Romanæ Ecclesiæ* libros tres à Christophoro Marcello Episcopo Corcyrensi conscriptos: perlegat etiam *Christianarum institutionum* tuarum (quas Gregorius XIII. Papa auctoritate & indulgentia sua stabiliuit) librum quartum ex communibus *Romanæ* ecclesiæ orationibus & Pastorali, conflatum, & cum horrore satisfiet. Nam aquæ incantationibus Pontificijs benedictæ hasce vires spirituales ascribis,

Cap.8. I. *Profligantur dæmones ex locis, & creaturis.*

II. *Remittuntur venialia peccata.*

III. *Phasmata diabolica, prauæ cogitationes, & mentis distractiones in oratione aliisque temporibus excluduntur.*

IIII. *Mens à terrenis rebus colligitur.*

V. *Dispo-*

v. *Disponitur animus ad orationem & deuotionem.*

vi. *Gratia, fauor, & præsentia sancti Spiritus impetratur.*

vii. *Præparatur mens hominis, vt rectius diuina mysteria peragat, sacramentaque percipiat.*

Et, nequid desit impietatis, hasce vires spirituales, sequentibus corporalibus accumulas.

i. *Curatur sterilitas hominum, iumentorum, humanarumque rerum.* Cap.9.

ii. *Impetratur bonorum multiplicatio & vbertas.*

iii. *Infirmitates corporum ne inuadant præcauentur, & vbi occupauerint curantur. Conceditur enim sanitas mentis & corporis.*

iiii. *Noxius aër purgatur, depellitur pestis, & omnis contagio.*

De cineribus est eadem superstitio: quos consecrari ais,

i. *Vt valeant ad sanitatem animarum & corporum, terra marique.*

ii. *Vt, de locis, vbi accensi fuerint, dæmon & quicquid dæmonis ars est machinata, depellatur.*

III. *Vt mentes & corda nostra, inuisibili igne & splendore sancti Spiritus illustrentur, omniumque peccatorum & vitiorum cæcitate careant, vt cernere possimus quæ Deo sunt placita & vtilia saluti.*

IIII. *Vt ignis Charitatis cum lumine fidei in animis nostris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens in vitam æternam deducat.*

Cap. 10. De Cineribus similis est ratio. *Petit,* (inquis) *multis orationibus in cinerum benedictione ecclesia, vt istos salutares effectus consequantur fideles, qui sunt his cineribus vsuri.*

I. *Vt iuuetur Homo ad internam humilitatem cordis.*

II. *Vt benedictio cælestis in aspersos descendit, qua serio compungantur & de peccatis doleant; considerantes per peccatum hominis & ipsam terram maledictam fuisse in opere nostro, & nos omnes in terram & cinerem redituros.*

III. *Vt hi cineres sint salubre remedium ad assequendam remissionem peccatorum & præmium vitæ æternæ.*

IIII. *Vt detur corporis sanitas, ad pœnitentiam pro peccatis agendam.*

V. Vt

V. *Vt anima ipsa diuina tutela protegatur.*

VI. *Vt illa à Domino impetremus quæ ad ipsius voluntatem petimus.*

VII. *Vt in bono constanti animo perseueremus.*

Præterea non minor est in palmarum ramis benedicendis superstitio, quum à Romana Ecclesia Deus rogatur, *vt gestantes hos ramos.* Cap. 11.

I. *Accipiant protectionem mentis & corporis in salutis remedium, & ad gratiam diuinam obtinendam.*

II. *Vt, sicut rami virentibus sunt folijs, ita frondeant opera nostra virore iustitiæ & virtutum multarum pulcritudine.*

III. *Vt sicut Hebræorum populus Christo his ramis occurrit, & cum ipso in ciuitatem Hierusalem intrauit: ita nos bonis operibus instructi Domino obuiam procedamus, eiusque vestigia sequentes, per ipsum & cum ipso in cælestem Hierusalem admittamur.*

IIII. *Vt sicut Christus de hoste per passionem triumphauit, ita & nos, sæpe hoc opus misericordiæ animo voluentes, amore Christi accendamur, ad pugnam & ad victo-*

victoriam de dæmone, carne, & mundo referendam.

V. *Vt in quemcunque locum importati fuerint hi rami, habitatores, Dei benedictionem consequantur & omni aduersitate fugata, dextera Dei protegantur.*

Eiusdem plane impietatis ea sunt, quæ de orbiculis quibusdam cereis (quos, à figura impressa à Pontifice, *agnos Dei* appellatis) recenses. Verùm vt magis conspicua sit Romanæ ecclesiæ idololatria, Pontificis vestri profanos versus ascribam, quemadmodum à Corcyrensi Episcopo referuntur. *Legimus, (inquit) Vrbanum quintum Pontificem maximum misisse ad imperatorem Græcorum tres agnos Dei cum versibus infra scriptis,*

Sacrarum Ceremon. Rom. Eccles lib. 1. sect. 7.

Balsamus & munda cera cum Chrismatis vnda
Conficiunt Agnū, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per mystica, sanctificatum:
Fulgura desursum depellit: & omne malignum
Peccatum frangit, vt Christi sanguis, & angit:
Prægnans seruatur, simul & partus liberatur:
Dona refert dignis, virtutem destruit ignis:
Portatus mundè, de fluctibus eripit vndæ.

De campanis denique an sanctius iudicatis? Audiatur vester Episcopus, *Pulsatur autem & benedicitur campana, vt per illius*

Durandus ration diuin off. lib. 1. cap. 4. Pastorale.

illius tactum & sonitum, fideles inuicem inuitentur, ad præmium, & crescat in eis deuotio fidei: fruges, mentes, & corpora credentium seruentur: procul pellantur hostiles exercitus, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum & fulgurum temperentur, infestaque tonitrua & ventorum flamina suspendantur: spiritus procellarum & aëriæ potestates prosternantur: &, vt hoc audientes, confugiant ad sanctæ matris ecclesiæ gremium, ante sanctæ crucis vexillum, cui flectitur omne genu. Hæc referre, refutare est. Nam si hæc non est idololatria, magna profectò profanis gentibus fit iniuria, quum gloriam Dei, ad creaturas transtulisse, arguuntur. Sin verò, vt ante ex sacris literis pronuntiasti, *ea vitiorum omnium origo est, quòd spiritus erroris, suos non solùm gratia spoliet, sed alibi quàm in ecclesia, alÿsque medÿs, quàm Christus instituit, salutem quærere docet,* inde omninò consequitur, non esse m[...]m, si pietatem & probitatem, in Pontifice, clero & Monachis vestris, desideremus. Nam quemadmodum gentiles sua sapientia & Iudæi lege Mosaica malè intellecta, & suorum ope- Rom. 1. 25.

operum meritis, & humanis commentis confisi, traditi sunt in reprobum sensum: sic sanè Pontificijs doctoribus contigisse res ipsa docet. Nihil enim tam præclarũ, tam singulare & Christo proprium, quod sine Dei verbo, vestris ceremonijs, cum summa in Christum contumelia non arrogetis. Nam ostende si potes ex sacris literis & orthodoxo Patrum consensu, nouam illam religionem (qua aquam lustralem, cereos, palmarum ramos, cineres, agnos Dei, campanas, templa, domos priuatas, enses & reliqua consecratis) à *Christo* institutam, aut tanquam salutis media, ecclesiæ mandata, & pretioso ipsius sanguini æquata? Sin verò id præstare nullo modo potes, agnosce errores vestros, veritati cede, & desine Ecclesiam Romanam, à pietate & probitate tam prolixè commendare. Verùm, vt vera Dei gloria & Ecclesiæ Romanæ turpitudo clarius etiam patefiant, reliqua quæ adiungis perpendamus.

Vide Synodũ Mogunt. anni 1549. cap 39. Et Concil. Mediolan. quintum, anni 1579. cap. Quæ ad Sacrum.

COSTE-

COSTERVS.

LONGE alij ſunt fructus doctrinæ Catholicæ, quæ reddit homines manſuetos, humiles, caſtos, ſobrios, obedientes, virtutum omnium & perfectionis ſectatores; replet monaſteria monachis & virginibus, ſolitudines anachoretis, vrbes probis & bene moratis ciuibus. Solent enim Catholici doctores frequenter auditores ſuos ad pœnitentiam, ad lacrymas, ad perfectas ſalidaſque virtutes, ad martyrium denique incitare: ſicuti è contrario hæretici ad diſcordias, ad ſeditiones, ad bella, ad ſanguinem effundendum, faces alacriter ſuis præferre. Antequam Romanum imperium, deſertis idolis ad Chriſtum ſe aggregaſſet, quum eſſent multa Chriſtianorũ millia, qui vi atque armis debellatis gentilibus, religionem Chriſtianam inducere ac conſtituere potuiſſent, maluerunt tamen profundendo ſanguinem ſuum crudeliter occumbere; quam, ſanguinem aliorum effundendo, glorioſè regnare. Porro Catholicos pia quædam hæreti-

corum misericordia, desideriumque conuersionis tenet: illi contrà nomen nostrum funditus deletum atque exstinctum cupiunt. Catholici à concione redeunt compuncti corde, tundentes pectora sua, aliorumque peccata gementes, quemadmodum Propheta Iona & D. Petro concionante contigisse nouimus. Illi contrà vani, leues, spirantes minarum & cædis discedunt: vt non sit difficile, columbam discernere ab accipitre. Vnde fere homines dissoluti & perditi hęresibus se dedunt, qui parum pietati dediti laxiorem viuendi rationem adamarunt. Quod
1.Ioh.4.5. B. Ioannes Apostolus notasse videtur quum de signis hæreticorum differens ait, *Ipsi de mundo sunt* (homines carnales) *ideo de mundo loquuntur* (carni & mundo grata) *& mundus eos audit*: hoc est homines carnales sectam vocemque eorum sequuntur. Scribit & B. Augusti-
Epist.169. nus Eusebio, subdiaconum quendam Sapinensis ecclesiæ, nomine Primum, quum, contra maiorum interdictum, virgines Deo sacras accedere non esset veritus, clericatu motum esse: illum

verò

verò grauiter hac re commotum atque irritatum abductis secum duabus sanctimonialibus ad Donatistas defecisse atque rebaptizatum esse.

GOMARVS.

VTINAM, Costere gratulandi vobis hanc pietatem iusta sese offerret occasio! sed mores à pietate alieni, quos partim doctrina, partim vitæ exemplo instillatis, reclamant: & propterea non tam communi hominum infirmitati (quæ plus minusve, vbique sese exerit) sed Pontificiæ ecclesiæ constitutioni ascribi debent. *Longe*, inquis *alij sunt fructus doctrinæ Catholicæ, quæ reddit homines mansuetos, humiles, castos, sobrios obedientes, virtutum omnium & perfectionis sectatores.* Imo verò, quomodo quæso doctrina Pontificia (quam falsò Catholicam vocas) mansuetos reddit, aut humiles, quæ Pontificis & Episcoporum fastum plusquam Persicum, & immanem eorum, in Christianis ferro flammaque, leui hæresis suspicione, tollendis, crudelitatem probat ac tuetur? quomodo castos & sobrios quæ impol-

impollutum coniugij thorum, contra
Heb.13.4. Dei verbum pollutum arguit & in sacerdotibus scortatione peiorem docet?
Bellarminus lib.2. De monachis ca.34. quomodò obedićtes, quæ Pontificem,
Math.22.21. & 17.27. 1.Pet.2.13. contra Christi & Petri præcepta & exempla, omnium mortalium imperio eximit: clerum vniuersum cum monachis,
Rom.13.1. Regum & Imperatorum potestati contra Dei præscriptum subducit: quosuis subitos, pro Pontificis arbitrio, à debita suis dominis obedientia, non solùm absoluit, sed etiam minis & anathemate deterret? Denique quomodo virtutum omnium sectatores *reddit*, quum veram virtutum regulam, non solùm Dei verbum, sed humanas
Math.15. etiam traditiones, quibus frustra colitur Deus, proponat? Quare quod non desint apud vos viri probi, id non doctrinæ vestræ, nec cleri aut monachorum prælucenti pietati, sed Dei clementiæ tribuendum, qui in media etiam Babylone suos habet electos quos inde tandem educit. *Repleat* sanè *doctrina vestra monasteria monachis & virginibus*, sanctitate tamen minimè complet. Notæ enim sunt totius orbis iam

à lon-

à longo tempore querelæ. Consula ut vterque Bernardus, * Clareuallensis (quē inter sanctos numeratis) & † Morlanensis; Iliadem quandam impietatis monachorum & sacerdotum explicabunt. Et vt Benonem, Petrumque de Aliaco, cardinales, aliosque Pontificios scriptores quàm plurimos prætermittam, audiatur vel vna Francisci Pici Mirandulæ comitis ad Leonem Pontificem querela iustissima; *Apud plerosque religionis nostræ primores, ad quorum exemplum componi atque formari plebs ignara debuisset, aut nullus, aut certè exiguus Dei cultus, nulla bene viuendi ratio atque institutio, nullus pudor, nulla modestia: Iustitia vel in odium vel in gratiam declinauit: Pietas in superstitionem pene procubuit.* Et paulo post, *Nostra verò & in sacras ædes fit irruptio & ab illis etiam (proh pudor!) fœminæ abiguntur ad eorum libidines explendas, & meritorij pueri à parentibus commodantur & condonantur his, qui ab omni etiam corporis concessa voluptate sese immaculatos custodire deberent, hi postea ad sacerdotiorum gradus promouentur, ætatis flore exoleti. Non igitur miremur si deierant & falsò*

* De consider. ad Eugenium.
† De contemptu Mundi.
De reformandis moribus.

falsò se nosse vtrumque sacrarum literarum instrumentum profiteantur : quoniam nec quid eius nomen significet, pernouere. Ac memini puerum quendam in Episcopi locum ascitum, qui, quoniam literas penitus ignorabat, per iocum dum rogaretur an magnos progressus fecisset in disciplinis? respondit ingenuè, Nondum se didicisse exordium eius orationis, quam de more sacerdotes præfari solent sacra facturi: noui & qui annuas sacerdotij pecunias, commendatas eorum fidei, spurcissimis voluptatibus & impendant & impendisse glorientur. Quamobrem ex hac ingenua summi inter Pontificios *viri* querela satis apparet verissimè Adrianum sextum Papam in Epistola ad Principes Electores confessum, *à curia Romana processisse hoc malum, & inde corruptionem in omnes inferiores emanasse.*

Fasciculus rerum pag. 173.

Quod pluribus etiam testimonijs & argumentis, ante annos viginti duos, à Claudio Espencæo, inter Pontificios theologos doctissimo, declaratum est. in epist. ad Tit. 1. Nam quod ais, *Solere catholicos doctores, auditores suos ad pœnitentiam, ad lachrymas, ad perfectas solidásque virtutes, ad martyrium denique incitare:*

zare: imo verò contra, inquam, ad fucatam pœnitentiam; quæ non Dei verbo, sed hominum placitis superstitiosè conformatur. Eoque nec ad veras virtutes exstimulant, sed ad externam & inanem pietatis speciem: quam graphice describit Apostolus, *Itaque* (inquit) *si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid, vt viuentes in mundo, ritibus oneramini, ne attigeris, neque gustaris, neque contrectaris? quæ omnia ipso vsu pereunt ex mandatis & doctrinis hominum, quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & summissione animi, & in eo quod corpori non parcant.* Col. 2. 20. Atque huc pertinent Pontificiæ pœnitentiæ præscriptiones, quæ non Dei imperio, sed Pontificis voluntate diriguntur: vt vel ex Christianis tuis institutionibus apparet. Siquidem præfixa Gregorij XIII. Pontificis epistola toties debitam annorum viginti pœnitentiam remittit, quoties quis alterum ex eo opere quicquam docuerit. Hæc scilicet est pœnitentiæ vestræ præstantia! hæc pietas singularis, qua Pontifex pro arbitrio, in Christi vnici legislatoris & conscien-

tiæ Domini munus irrumpit & verum Dei cultum adulterat ac peruertit! Omitto auricularis confeßionis normam & vſum, quo caſtas aures polluitis, & tenellis ac lubricis animis voluptates & ſcelera ignota fœdißimis quæſtionibus inſtillatis. Adeò enim impudenter inaudita & nefanda quæque libidinum & facinorum monſtra, à Confeſſoribus veſtris (quorum ora ſancta eſſe debebant) in confeßione auriculari inquiruntur & explicantur, vt de ijs ſine ſummo horrore caſtus & pius animus cogitare *non* poßit. Ac propterea hanc confeßionis *veſtræ do*ctrinam & exercitationem meritò omnium vitiorum magiſtram appellare poßis. Negas Coſtere? Ad confitentes veſtros prouoco; &, vt illi pudore aliquo fortaſſe ſileant, Pœnitentiale Romanum & Burchardi Wormatienſis Epiſcopi decretorum librum XIX. (quo auricularis confeßionis inquirendi formulæ præſcribuntur) conſule, & verißimum comperies. Prætereo indignam illam rerum ſacrarum nundinationem & Simoniam, qua quorumuis ſcelerum impu-

impunitatem certo præſcripto pretio diuenditis: & hac ratione non tam feneſtram, quam viam latiſſimam, ad omnium vitiorum licentiam, aperitis. Extant enim recuſi ſæpius de hoc argumento Eccleſię Romanę libri, inſcripti, *Taxa cancellariæ apoſtolicæ*: deinde, *Taxa ſacræ pænitentiariæ Apoſtolicæ*: quibus certa ſingulis ſceleribus redimendis pecunia præſcribitur. Qua de re fruſtra ſæpius prudentiſſimi Reges & Imperatores editis ſuis, vt vocant, Grauaminibus conqueſti ſunt. Quamobrem animaduertis omnino, quales ſint doctrinæ Pontificiæ fructus, quales doctores, & quam procul à recta virtutum verarum inſtitutione ſeducant. Et ſanè vt vel maximè ad veras perfectaſque virtutes interdum auditores incitarent, eorum tamen irritus eſſet conatus: quòd imprudentes auditores in vitam ſæpius, quàm in doctrinam oculos defigant. De qua re grauiter & iuſtiſſimè in concilio Tridentino Bauariæ ducis legatus conqueſtus eſt totidem verbis, *Quæ morum turpitudo in clero, vehementer offendit imperiti populi animos, tantopere vt ſacerdo-*

Lib. nominũ Patr. Concil. Trid. & Orat. à legatis habitarum.

cerdotium vna cum sacerdotibus, doctrinam vna cum doctoribus execretur, dirisque deuoueat. Præterea quod aduersarios vestros eo nomine accusas, quòd *ad discordias, ad seditiones, ad bella, ad sanguinem effundendum facem alacriter præferant:* in eo profectò Pontificios Doctores, monachos, Iesuitas, imprudenter descripsisti. Quod vt probem, non colligam infinita, quæ historiæ vestræ subministrant, exempla Imperatorum, Regum, Principum, qui à vestris monachis, sacerdotibus, ferro aut veneno patrum & nostra memoria necati *sunt:* omittam ab ijsdem *turbata regna* varia: hoc verò tantùm abs te quæro cur edicto regio Iesuitæ tanquam Christiani orbis pestes Gallia nuper eiecti sint? reliqua prætereo, quia nihil tam copiosè de Iesuitarum factionibus & crudelitate à me dici potest, quod non clarius omnium mortalium animis contineatur. Itaque quod de prisca Christianorum pietate subijcis, *eos maluisse sanguinem suum profundendo crudeliter occumbere, quàm sanguinem aliorum effundendo gloriosè regnare* id reuera à mo-

ribus

tibus vestris alienissimum esse docent Romanorum Pontificum in bello sacro accendendo & in plurimis imperatoribus oppugnandis furor. Idem demonstrat multarum myriadum in Belgio, Anglia, Gallia, religionis veræ odio exquisitissimis tormentis trucidatio. Itaque frontem perfricuisti, Costere, quum addis, *porro Catholicos pia quadam hæreticorum misericordia desideriúmque conuersionis tenet.* Lachrymæ crocodili! sed quæ prudentiores, non facile inescabunt. Viget enim Concilij Cőstantiensis apud vos de fide hæreticis non seruanda decretum: & apud omnes illius memoria. Adeo vt non immerito Hussi & Hieronymi Pragensis, & multorum nostris temporibus vestigia, prudentes deterreant. Ac propterea verè mones, *Non difficile esse, ex hisce, columbam discernere ab accipitre.* Verùm de laxa viuendi ratione frustra expostulas. Nam si ea demum laxa & dissoluta est, quæ à verbi diuini vinculo soluta diffluit, stricta contrà, quæ eo regitur; nihil vestra viuendi ratione dissolutius esse perspicuum est. Nam

Sess. 19.

quemadmodum Baalis sacerdotes non eò sanctiores extiterunt, quòd in cultu
1.Reg.18.28. suo se inciderent cultris & lanceolis, donec persunderentur sanguine; sic nec vestris mastigijs & monachis *ἀφειδία* illa & afflictio corporis, ex arbitrio
Col.2.23. humano, ad cultum Dei instituta, sanctitatem conciliat: sed superstitionem eorum demonstrat. Itaque, Babylone vestra exeuntes, audimus & amplectimur Paulum præcipientem; *In libertate*
Gal.5.1. & 13. *igitur, qua Christus nos liberauit perstate & ne è contrario implicamini seruitutis iugo, &c. tantùm ne libertatem detis in occasionem carni.* Audimus & obseruamus
Matth.15.9. Christum docentem; *Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.* Eoque de diuino iudicio certi, vestrum præiudicium minime formidamus.

CAPVT VII.

Quare expensa iam antithesi sexta, septimam quoque, quam passim inculcas, percurramus paucis: quia in secunda controuersia pluribus erit pertractanda. Ea autem est successionis diuersitas, quam hac ratione describis.

COSTE-

COSTERVS.

NVLLAM prorsus inuenias sectam, cuius originem possis per continuam & non interruptam successionem ad Apostolos Christi reuocare, sed noti sunt omnium sectarum principes & architecti. Ariani suum esse dicunt Arium, Nouatiani Nouatum suum iactant, Lutherani auctorem & parentem suum Martinum Lutherum esse cõfirmant, atque ita de reliquis omnibus, quotquot vllo vnquam tempore hæreses viguerunt. Est enim proprium hæreticorum omnium, vt Apostoli tradiderunt, **segregare se*, † *exire ex nobis*, ‡ *discedere à fide*, * *afferre noua præter illud, quod accepimus:* quod quidem adeò verum est, vt nemo hæreticorum vel vnicum hominem potuerit hactenus producere, qui ante tempora sui hæresiarchæ per omnia senserit & docuerit, sicut ipse sentit ac docet. Iactant quidem omnes, etiam illi, qui capitali odio inter se dissident, Christum & Apostolos; sed quo ordine, quave successione

7. Antithesis.

Athan orat. 1. contra Arian.

*Iudæ 19. †Act. 15.26. 1.Ioh.2.19. ‡ 1.Tim. 4.1. * Gal.1.9.

Vincent. Lirin. contra omnes hæreses.

doctrinam suam ab Apostolis acceperint, demonstrare non possunt. quare coguntur fere eò confugere vt dicant ecclesiam ante sua tempora, vel nullam fuisse (vt de Donatistis refert Augustinus) vel inuisibilem & sua potissimum opera è tenebris in lucem vocatam: quod non sine insigni Christi optimi maximi contumelia Lutherani nostra tempestate, palam profitentur ac præ se ferunt. Alij ad antiquos hæreticos suam doctrinam referunt, vt quidam Anabaptistæ ad Manichæos, & hi ad antiquissimos *Simonis magi* discipulos. Sed vt nullus est *Hæresiarcha*, qui non aliquid veteribus errorum magistris acceptum referat; ita nullus est, qui non sit noui aliquid commentus: sic vt tot hæreses sint & sententiæ, quot capita.

De vnitate Ecclesiæ c. 12.

GOMARVS.

MAGNVM causæ Pontificiæ subsidium in successione situm existimas: verùm si quis rem ipsam non obiter & quasi per transennam sed penitius & accuratè intueatur ac ponde-

ret,

ret, confeſtim apparebit eam quam Scriptura commendat ſucceſſionem non veſtræ, ſed noſtræ eccleſiæ, tribuendam. Nam quum duplex in Eccleſia laudabilis ſit ſucceſſio, vna doctrinæ Apoſtolicæ: altera miniſterij Eccleſiaſtici: & vtramque nobis competere, iam ſæpius ab orthodoxis demonſtratum ſit, ſanè iniquè facis, quod ſectis nos aggregas. Etenim doctrinæ puritatem ex ſanctorum Prophetarum & Apoſtolorum literis grauiter copioſéque noſtri probant, & in huius operis tui examine comprobabo. Quare non ſolum inſignis calumnia eſt, quod ais *Lutherani auctorem & parentem ſuum Martinum Lutherum eſſe confirmant*, ſed etiam falſi abs te conuincitur, quum ais, *iactant quidem omnes Christum & Apoſtolos:* quomodo igitur auctorem ſuum Lutherum eſſe confirmant? Eſt ſanè proprium hæreticorum omnium ſegregare ſe, exire à nobis, diſcedere à fide: hoc enim Apoſtoli tradiderunt, ſed de vera eccleſia & doctrina, non de vitiata, qualis veſtra. Nam vt meretrix fieri poteſt ciuitas fidelis: ſic ab ea Eſa.1.21.

Math.15.3. tum temporis discedendum esse, non
15.& 16.6. solùm sacrarum literarum mandato, sed etiam Apostolorum & Christi exemplo demonstratur. Verùm, ne sine ratione loqui videaris, argumentum adfers, vt tu quidem putas adamantinum & palmarium: vt verò orthodoxi censent planè vitreum ac fragile. *Quod*, inquis, *adeò certum est, vt nemo hæreticorum vel vnum hominem potuerit hactenus producere, qui ante tempora sui hæresiarchæ per omnia senserit & docuerit, sicut ipse sentit ac docet.* Hoc mirificè tibi placet Costere: vnde passim toto hoc opere *idem* repetis & aduersarios eo pancraticè prouocas. Sed producimus tibi Christi & Apostolorum consensum, omni exceptione maiorem. *Si solus Christus au-*
Distinct.19. *diendus est* (vt inquit Cyprianus, & decreto Pontificio insertum ac sancitum est) *non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid primus qui ante omnes est, fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, quum per Esaiam prophetam loquatur Deus & dicat, sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.*

Deinde

Deinde verò Irenæum, Cyprianum, Basilium, Augustinum, cæterosque orthodoxos Patres testes adducimus, quatenus cũ sacris literis consentiunt. Quam conditionem ipsimet Patres & decreta Pontificum Romanorum præscribunt. Quare non est quod purioris doctrinæ successionem in nobis desideres. Ad successionem verò ministerij Ecclesiastici quod attinet, siquid apud vos recti, id nostri habent; si quid praui, id ad normam Apostolicam, ex officio, reformarunt. Nam Ioannes Hussus, Hieronymus Pragensis, Lutherus, Swinglius, Oecolampadius, Bucerus, cæterique reformatæ Ecclesiæ antesignani, aut doctores fuerunt apud vos, aut ecclesiæ ministri: quibus in ecclesia & schola sacras literas docendi & errores refutandi munus fuit demandatum. In quo sic versati sunt, vt ecclesiam, quæ iugo pontificio premebatur, in lucem clarius produxerint & auxerint plurimùm. Nam semper ecclesiam extitisse, non modò ex sacris literis, sed experientia quoque edocti sumus: vt *Catalogus testium veritatis* & historiæ

Gratianus dist. 9. §. Ego Solis &, noli meis, &c.

ſtoriæ demonſtrant. Cæterùm qua ratione Eccleſia inuiſibilis dici poſſit ſuo loco plenius ex ſacris literis & orthodoxo Patrum conſenſu diſſeremus. Interim quid ex aduerſo de Romana Eccleſia glorieris, attendamus.

COSTERVS.

AT verò doctrina Eccleſiæ Catholicæ, ab ipſis Apoſtolis accepta integra atque inuiolata per tot ſæcula & ætates ad nos vſq. peruenit: quod enim credimus hodie in Eccleſia Romana, id maiores noſtri ante *annos centum*, id ante annos ducentos, *trecentos*, mille atque adeo ipſis Apoſtolorum temporibus crediderunt. Et quidem vſqueadeo eſt hæc fides & doctrina eccleſiæ catholicæ, vt neminem hactenus aduerſarij dare potuerint, qui illam vel excogitarit, vel mutarit, vel deprauarit. Hanc incorruptam doctrinæ per tot annorum ætatumque ſpatia ad poſteros propagationem, veteres illi doctores * Irenæus, † Tertullianus, ‡ Cyprianus, * Origines, † Euſebius, ‡ Epiphanius, * Auguſtinus, † Optatus M-

le-

* Lib. 3. & l. 4. ca. 43, 45, 63.
† Lib. de præſcrip. hæret.
‡ Lib. 1. Ep. 3. & 6. lib. 2. Ep. 10. lib. 3. Ep. 10. & de, Simpl. prælat.
* Lib. 6. κατὰ ἀρχῶν.
† Eccl. hiſtor. l. 5. cap. 6.
‡ Hæreſi 27.
* Epiſt. 165. & de vtil. cred. cap. 17. cōtra Fauſtū lib. 28. cap. 2 contra Ep. fund. ca. 4. Quæſt. 100. vet. & noui teſt.
† Lib. 2. contra Donatiſt.

leuitanus tanti fecerunt, vt in ea certissimam veræ ecclesiæ cognoscendæ ac demonstrandæ notam constituerint.

GOMARVS.

INANIS & solita vestra iactatio est, quam Centuriæ Magdeburgenses & varia concilij Tridentini examina multique viri doctissimi refutarunt, & nos pro modulo, Symbolam nostram, in secunda huius præfationis parte & in controuersia de ecclesia, ad Babylonis fundamenta subuertenda & ad Dei gloriam illustrandam, conferemus. Interim vt è plurimis pauca tantùm attingam & Pontificię religionis arcem petam: quis ante Bonifacium octauum Papam, docuit *subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, omninò esse de necessitate salutis?* Quis ex tota veteri ecclesia vnquā asseruit, imagines Christi, eodem cultu cum Christo, adorandas: vt cum sanctis vestris doctoribus Thoma Aquinate & Bonauentura Cardinale docetis? Quis veterum lanceam, crucem ligneam, spem salutis vocauit & inuocauit? Quis veterum campanas, cereos

Extrauagant. cōmun. lib. 1. de maioritate cap. 1.

Sūma Theol. par, 3. qu. 25.

cereos, cineres, aquam, ramos, mo[re] vestro, tanquam salutis organa, conse-crauit? Summam præterea Romanæ ecclesiæ cum orthodoxis Patribus & inter vos dissensionem, in tractatu de Ecclesia, prolaturus sum: vt arrogantem & perpetuam gloriationem vestram, rei veritate, humiliem. Quare frustra de successione vestra gloriaris. In qua licet Patres orthodoxi aliquam esse notam constituerint, ante quam publica in ecclesiam Christi inuecta esset apostasia & tyrannis, id tamen à nostris temporibus & ab Ecclesiæ Romanæ calamitate, alienum est. Imo, si hæc certissima veræ ecclesiæ nota est, consequitur necessariò, Romanam ecclesiam non esse veram Christi Ecclesiam; quum maiorum & Apostolorum doctrinam & successionem corruperit varijs modis: vt, in controuersiarum disquisitione, plenius ac planius constabit.

Vide etiam cap. 15. huius libri.

CAPVT

CAPVT VIII.

Quare ad octauam antithesin, quæ a contrarijs hæreticorum & Patrum sanctorum studijs consistit, progrediamur.

COSTERVS.

OMNIVM hæresium parens ac procreatrix superbia, aut aliud id genus peccatum est. *Mater omnium hæreticorum* (inquit Augustinus) *superbia est*. Simon magus (Act.8.) dicebat se esse aliquem magnum, Arius & Nouatus quum ecclesiæ principatu, cuius cupiditate ardebant (ille Alexandrinæ, sic Romanæ) potiri non possent, perniciosissimos errores & hæreses sunt commenti, vt nomina sua, virtute obscura, insigni scelere, ad memoriam sempiternam propagarent. Lutherus in disputatione Lipsica, de mutatione religionis à se excitata, *Neque*, inquit, *propter Deum cœpit res ista, neque propter Deum finietur*. De veterum hæreticorum ambitione, libidinibus & voluptatibus scribunt S.Petrus & Iudas Apo-

8.Antithesis.

Lib.2.de Genes. contra Manich. ca.8. Theodoretus lib.1.hist.Eccl. ca.24. Chrys. Hom.27. in Iohan.

2.Pet.2.10. Ep.Iud.8.

Apostolus, *Dominationes contemnunt & audaces sibi placentes, maiestatem blasphemant*, &c.

GOMARVS.

QVÆ de Hæreticorum origine commemoras, controuersia carent: & ijsdem argumentis, Papatum, non veritatis, sed superstitionis & hæresium scholam esse, demonstramus. Nec enim aliundè Pontificum dominatus & doctrinæ peruersitas, quàm ex superbia, auaritia & libidine eorum promanauit. Testantur id non solùm grauissimæ orthodoxorum rationes, sed multorum etiam Pontificiorum scriptorum consensus, vt suis locis apparebit. Ac propterea verius longè pontifices Romanos Simoni mago, Nouato & Ario (quorum vestigia insequuntur) copulasses, quàm veritatis & Dei amantem Lutherum. Nam quod ei aspergis maculæ, vt à vobis confictum est: sic responsionem longiorem non meretur. Sed fuerint (vt fingitis) hæc Lutheri verba, mentem tamen illius mala exponis fide: quum ea non

ea non de ſuo, ſed de Pontificiorum ſtudio protulerit: qui vt indulgentiarum nundinationem, non Dei (cuius verbo repugnant) ſed auaritiæ gratia inſtituerant; ſic eodem animo propugnabant; qua de re Reges, Principes, Imperatores, & infiniti alij ſuis ad concilia (vt appellarunt) Grauaminibus liberè & grauiter ſępius conqueſti ſunt. Deinde graphica illa hæreticorum ex ſacris literis deſcriptio, *Dominationes contemnunt, & audaces, ſibi placentes, maieſtatem blaſphemant*, nullis mortalium magis conuenit, quàm Pontificibus, Cardinalibus, epiſcopis, presbyteris, monachis; Ieſuitis. Quænam enim maior eſſe poteſt arrogantia & dominationum contemtus, quam ſe totumquè ordinem Eccleſiaſticum, magiſtratus imperio eximere: dominationes omnes ſibi ſubijcere: Principes, Reges, Imperatores, religionis ſpecie, ad pedes oſculandos detrudere: conſtantes in officio & Imperatoriæ & regalis maieſtatis ſuæ memores, pro arbitrio, de ſolio deturbare, & ſubditos eorum à debita ſuis dominis, diuino iure, obedien-

dientia, anathematis fulmine prohibere: summam denique, & (vt in re barbara barbarè loqui soletis) *plenariam* in omnes *potestatem* sibi arrogare? Agnoscis, opinor, hîc viuos Pontificum colores, & dominationum contemtum, & conculcationem intolerabilem, priscisque temporibus inauditam. Nec dominationes solùm contemnunt, sed etiam, quod summum superbiæ fastigium est, à nullo mortalium sua scelera reprehendi posse affirmant. *Si Papa* (inquit ius Pontificium) *suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur inutilis ac remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus: nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus: huius culpas redarguere istic præsumit mortalium nullus; quòd cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus: nisi deprehendatur à fide deuius.* Nunc verò conferto cum hac Pontificum Romanorum insolentia sacrarum literarum & Chrysostomi (cuius scripta pontificum decretis confirmata sunt) iudicium.

Dist. 40. c. Si Papa.

Dist. 15. Can. sicut Sancti.

Pote-

Poteſtatibus (inquit) *ex debito obedire debent. Oſtendens quod iſta imperentur omnibus & ſacerdotibus & monachis, non ſolùm ſecularibus, id quod ſtatim, in ipſo exordio, declarat, quum dicit; Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit: etſi Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſiue quiſquis tandem fueris: neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.* Quid hic obſecro excuſationis prætendis? Comment Rom. 13.

COSTERVS.

CONTRA verò ſicut Apoſtoli (qui ſanguine, ſecundùm Chriſtum, eccleſiam fundauerunt) admirabili virtute præditi fuerunt: ita in illuſtrioribus illis Patribus & doctoribus, qui, in paſcendo grege dominico, Apoſtolis ſucceſſerunt, ſingularis vitæ ſanctimonia eluxit. Admiramur ſummam in Auguſtino & Gregorio humilitatem, incredibilem victus cultuſque aſperitatem in Hieronymo, Baſilio, Nazianzeno, Chryſoſtomo; Angelicam in D. Thoma & Bernardo caſtitatem. Neque quiſquam eſt inter ſanctos eccleſiæ patres, qui non, vt doctrina erudire;

dire, ita ſingulari aliqua virtute excellere & alijs prælucere conatus fuerit.

GOMARVS.

Ioh. 8, 40. SICVT Iudæos, Abrahamo patre & Prophetis gloriantes, doctrinæ & vitæ corruptio refellebat: eadem ſanè ratione, quæ de Apoſtolorum & patrum ſanctitate recenſes, non aliò ſpectant, quàm vt eò clarior ſit veſtra impuritas. Nam, *ſi non eſt quicquam inter ſanctos Eccleſiæ patres, qui non, vt doctrina erudire, ita ſingulari aliqua virtute antecellere & prælucere conatus ſit*; neceſſariò ſequitur, pontifices, epiſcopos, ſacerdotes, monachos, Ieſuitas veſtros, nihil cum ijs habere commune: quum à multo tempore vix quiſquam inter eos ſit, quin doctrinæ & vitæ turpitudine, reliquos ſuperare contenderit: vt ex ijs quæ ante propoſui & ex iuſtis totius orbis querelis conſtat.

CAPVT

CAPVT IX.

Quamobrem quàm iniquè hæc à te explicata sit antithesis, prudenti lectori perspicuum est: an verò sequens nona plus habeat roboris, videamus.

COSTERVS.

HÆRETICI omnes (quemadmodum veteres animaduerterunt) non Patrum, non conciliorum, non ecclesiæ totius, sed solius scripturæ auctoritatem admittunt. Vnde cum ipsis in disputatione solis scripturis est agendum; quas deinde pro suo arbitratu vel mutilant, vel ad suæ causæ commodum torquent, vel prorsus more Sadducæorum reijciunt. Pleni sunt omnes veterum libri istarum querelarum. Maximinus Arianorum Episcopus ita dicebat, *si quid de diuinis scripturis attuleris, quod commune est omnibus, necesse est vt audiamus: hæ verò voces, quæ extra scripturam sunt, nullo casu, à nobis suscipiuntur; quum ipse Dominus moneat & dicat, Sine causa colunt me docentes mandata & præcepta hominum.*

9. Antithesis.

Tertullianus de præscrip. Augustin. lib. 32. contra Faustũ ca 19. Cypr. de vnit. Eccles. Petrus Clunia lib. 1. Epist. 2.

Vide August. lib. 1. contra Maximin.

 Item,

Item, *Si affirmaueris de diuinis scripturis, si alicubi scripti lectionem protuleris, nos diuinarum scripturarum optamus inueniri discipuli.* Nostri temporis hæretici adeo ad solas scripturas tanquam ad saxum adhærescunt, vt se non Catholicos, sed ab Euangelio, *Euangelicos* vocari velint: quos libet cum Diuo Augustino in hunc modum affari: *Videtis id vos agere vt omnis scripturarum de medio auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid in quaque scriptura probet, quid improbet: id est, non vt auctoritati subijciatur scripturarum ad fidem, sed vt sibi scripturas ipse subijciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideo recte scriptum videatur, quia hoc illi placuit.* Hactenus Diuus Augustinus. Neque iniuriã hoc faciunt hæretici, quum (vt Beatus Gregorius loquitur) *non contentur suis inquisitionibus veritatem assequi, sed victores videri*: hoc est, quod semel conceperunt, volunt à Scriptura dici, non autem iudicium suum ad sanum scripturæ intellectum accommodare: & quia scriptura chartis mandata patitur se quoquo versus infle-

Lib. 32. contr. Faust. cap. 19.

inflecti, deduci, distrahi, neminem volunt præter illam opinionum suarum iudicem.

GOMARVS.

De Patrum & Scripturæ auctoritate inter hæreticos & orthodoxos disceptari, nemini dubium esse potest: sed quàm rectè, obsecrò, hanc litem definis? *Hæretici,* inquis, *non Patrum, non conciliorum, non ecclesiæ totius, sed solius Scripturæ auctoritatem admittunt.* Verùm confusè agis, Costere, vt aliqua contumaciæ suspicione orthodoxis inuidiam conflare possis. Nam quum, in dirimendis religionis controuersijs, duplex sit auctoritas; primaria, quæ summo iudici, & secundaria, quæ iudici & testi conuenit; priorem, Deo in Sacris literis loquenti, alteram, orthodoxis Patribus, distinctè ac sanctè concedemus. Quid igitur in hac confessione nostra, iustè desideras? Præsertim quum huius sententiæ, non Deum solùm, sed Patres etiam auctores habeamus. *Ego* (inquit Augustinus, & ex eo Pontificum decretum) *fateor charitati* Epist. 9. ad Hieron. [illegible] §. Ego

tua, solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre; vt nullum eorum auctorem, scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in ijs offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrináque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non dissentiant, persuadere potuerunt. Hæc Augustinus, qui postea, sacram scripturam *in summo & cælesti auctoritatis culmine collocatam*, affirmat. Quare salua, suo ordine, Patrum auctoritate, solam Sacram scripturam, tanquam certam fidei normam admittimus, eique quod iniquè vitio vertis, tanquam saxo salutari adhærescimus, *superstructi Prophetarum & Apostolorum fundamento*. Hæc enim genuina est sanctæ catholicæ ecclesiæ nota: eoque vt veros Catholicos, ab adulterinis nostri distinguerent *Euangelico-*

Eph. 2.20.

gelicorum nomen, sana sententia, vsurparunt. Quod autem ex Augustino contra Maximinum de Arianorum errore (qui voces quæ extra scripturam sunt, nullo casu se suscipere profitebantur) adiungis; nihil omnino ad nos pertinet. Siquidem de re tantùm solliciti, profanam illam vocum superstitionem, meritò auersamur. Quod reliquum est, celebrem illam Augustini in eodem opere sententiam amplectimur, vobisque regerimus, *Sed nunc* (inquit) *nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus, proferre concilium. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque proprijs, sed vtrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Nec minus à ratione alienum est, quod nos ijs verbis affaris, quibus ille Manichæos, quatuor Euangeliorum auctoritatem respuentes, perstringit, quum contrà nos illam reliquamque Scripturam sacram, tanti faciamus, vt ea de causa, vel te teste, Euangelicorum nomen amplectamur. Quare quum sum- Contra Maxim. lib. 3. cap. 14.

mam, quam merentur, auctoritatem, ijs vltrò deferamus, vos verò contrà mirificè minuatis & ecclesiæ iudicio apertè post ponatis, facile lectores vident, hanc sententiam, in vos ipsos, non immeritò posse retorqueri. Nos enim Scripturis lubentes nos subijcimus, non tanquam regulæ Lesbiæ & inconstanti, vt iniquè censes, sed vt certo fidei & vitæ canonici: vnde meritò communi Patrum consensu *Canonica* appellantur. Vos verò hanc Scripturæ auctoritatem detrahitis eamque vobis subijcitis ac torquetis. *Exempla* desideras? aquam in mari, aut ligna in syluis, eadem opera deesse, iudicares: adeò corruptelis vestris pleraque scripturæ loca contaminata & ad errores vestros fucandos indignis modis detorta sunt. Nam vt ex infinitis pauca delibemus: quomodo obsecro Bonifacius octauus Pontifex sacris literis non illusit? Nam quæ Deus Ieremiæ, de ministerij ipsius officio, quo gentium & regnorum euersiones constanter erat prædicaturus, pronunciauit; ea, ad summam Papæ in omnes Reges & Im-

Costerus Enchirid. contro. 1.

Ier. 1. 17, 18, 19.

& Imperatores potestatem, detorsit. Extra. Com. de maior. cap. 1.
Eadem iniuria verba Apostolorum, *ecce duo gladij hîc*: & Christi, *satis est*. Luc. 22. 38.
Item, *Conuerte gladium tuum in vaginam*, ita peruertit, vt concludat, *vtrumque gladium esse in potestate Ecclesiæ, spiritualem scilicet & materialem: sed eum quidem pro ecclesia, illum verò ab ecclesia exercendum: illum sacerdotis hunc manu regum & militum, sed ad nutum, & patientiam sacerdotum*. Pari fide Papam nullius subesse debere imperio inde probat, quòd Apostolus ait, *spiritualis homo iudicat omnia ipse autem à nemine iudicatur*. 1. Cor. 2. 15.
Similes sacrarum literarum peruersiones crebræ, in decretis Pontificum & cæterorum Romanæ ecclesiæ doctorum scriptis, occurrunt: vnde luce meridiana clarius apparet, quàm parui Dei verbum æstimetis. Quod vt amplius illustretur, omisso tuo aduersus orthodoxos præiudicio, quid de Patrum & Sacrarum literarum auctoritate Pontificij iudicent, ex te ipso cognoscamus.

COSTERVS.

CATHOLICI magno in honore habent antiquas maiorum traditiones, conciliorum decreta, ſanctorum Patrum (qui, per vniuerſum orbem, Chriſtianum populum inſtituerunt) concordem & conſentientem doctrinam, à quorum placitis tranſuerſum digitum diſcedere nefas arbitrantur. Hos magiſtros à Deo datos in omnibus audiunt, horum mente diuinas literas interpretantur, quum ſciant
1.Tim. 3.15. *eccleſiam eſſe columnam & firmamentum*
Matth.18.17. *veritatis*, & eum *qui eccleſiam non audierit loco Ethnici & Publicani habendum*, & item illud concilij Hieroſolymitani,
Act.15.28. *Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis*, & à ſa-
Pro.22.28. piente denique ſeriò præceptum, *Ne tranſgrediamur terminos antiquos, quos poſuerunt patres noſtri.*

GOMARVS.

MAGNA profectò laus eſt antiquos Patres iuſtè honorare, ſancta eorum placita amplecti: ſed maior gloria eſt Patrem cæleſtem reuereri, illius verba

verba tanquam amussim omninò obseruare & omnium mortalium patrum sententijs præferre. Ac propterea duplex in hoc sermone tuo apparet error, iudicij nimirum & professionis. Iudicij quidem, quòd patrum placita Canonicis æterni Patris literis honore exæquas. Itaque patrum doctissimum Augustinum oppono, *Nos*, inquit, *Cypriano nullam facimus iniuriam quum eius quaslibet literas, à canonica diuinarum Scripturarum auctoritate distinguimus. Neque enim sine causa, tam salubri vigilantia, Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris literis, vel fidelium vel infidelium, liberè iudicemus.* Et paulo post, *Ego huius Epistolæ auctoritate non teneor, quia literas Cypriani, non vt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in ijs diuinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius respuo.* Sed ne sine ratione loqui videaris, adducis quatuor Scripturæ sacræ testimonia, quibus vestram de Patrum aucto-

Contra Crescenti. lib. 2. cap. 31.

Ibid. cap. 32.

ritate

ritate ſententiam firmare ſtudes: quorum duo priora quum in prima controuerſia repetantur, eorum explicationem in eum differamus locum: reliqua verò, quæ hîc tantùm recenſes, omninò aliena ſunt. Primùm enim agnoſcimus concilium Hieroſolymitanum dixiſſe, non minus verè quam diſertè, *Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis:* ſed inde malè concludis, omnium conciliorum eandem eſſe auctoritatem. Nam quis ferat, ex ſingulari exemplo, regulam ſtatui generalem? Ac ſanè perquam diuerſa eſt Concilij *Hieroſolymitani* & reliquorum ratio. *Interfuerunt* enim Apoſtolici viri, ſingularibus Spiritus ſancti donis inſtructi: præfuerunt etiam Apoſtoli, qui perpetuò à Spiritu ſancto afflati, ab erroris periculo in doctrina fuerunt alieni. Reliqua verò concilia, ex ijs hominibus conſtiterunt, qui errare, labi, decipi, potuerunt, vt triſtis rerum experientia ſæpius comprobauit. Denique quùm Concilium Hieroſolymitanum non fuerit vniuerſale, vt hiſtoria conuincit, & veſtri doctores agnoſcunt, non minus eo
firmari

firmari poteſt, particularium concilio-rum (quæ tamen errare poſſe nobiſcum agnoſcitis) quàm vniuerſalium auctoritas. Itaque quum nihil ad cauſam veſtram, ex hoc teſtimonio ſit ſubſidij, alterum quoque perpendamus, quo Patrum auctoritatem, quaſi in ſumma arce collocas. *A ſapiente*, inquis, *præceptum ne tranſgrediamur terminos antiquos, quos poſuerunt Patres noſtri.* Pro.22.28.
Sed nihil efficis Coſtere, quum ſapiens ille, non figuratè de fidei finibus, ſed propriè de agrorum terminis loquatur & Moſis de ea re præceptum repetat. Deut.19.14.
Nec enim hæreſim prohibet, ſed auaritiam, qua alieni fines occupantur. Sic Baſilius magnus exponit, *terminos patrum ne moueas, ne cupias proximi agrum.* Sermone in aliquot ſcripturæ locos.
Itaque rectè interpres veſter Lyranus, In Prou.22.
ne tranſgrediaris terminos antiquos, occupando iniuſtè poſſeſsionem vicini tui. Sed eſto, valeat allegorica iſta interpretatio, intelligentur termini, non quiuis, ſed ſecundùm Dei verbum præfixi: alioqui attendendum ad illud Dei oraculum, *In præceptis Patrum veſtrorum nolite incedere, Ego ſum Iehoua Deus tuus in præceptis* Ezech.20.18.

meis

Matth. 15.2. 3.9. *meis ambulate:* & ad Christi sermonem, quo obijcientibus Pharisæis, *Quare discipuli transgrediuntur traditionem seniorum?* liberè respondit, *Quare & vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram, &c. Frustra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum.* Quare iudicij vestri de conciliorum & Patrum auctoritate errorem animaduertis: professionis verò vanitas (qua vos Patres per omnia audire, horum mente diuinas literas interpretari, gloriaris) pluribus in huius operis progressu elucebit.

CAPVT X.

Itaque refutata Antithesi nona, decimam consideremus, quæ in diuerso loquendi modo, consistit.

COSTERVS.

10. Antithesis. EST quoque modus loquendi hæreticorum alius, quam catholicorum. Nam hæretici, *qui sibi* De præscr. *iuxta nomen suum* (vt ait Tertullianus) *quod credant, eligunt*, quando dogmata sua proferunt, quasi propriam ac priuatam

uatam doctrinam venditantes, *sic se sentire, sic docere, sic sibi videri* dicere solent. Hinc tot Catechismi, quibus sua quisque somnia exponit, sparguntur, sicut olim Ariani alias atque alias fidei professiones identidem proponebant.

GOMARVS.

De hæreticis, non laboramus: sed quandoquidem orthodoxos nostrarum ecclesiarum scriptores, in eorum numero intelligis ac perstringis, grauissimam ijs fieri iniuriam, prudentiores nobiscum vident. Hoc enim nostri in ore habent loquendi genus, *sic sacræ litteræ docent: sic Prophetæ: sic Apostoli tradunt*. Et si quando hoc loquendi genere, *sic sentio, sic doceo* vtantur, non illud eo fit nomine, ac si priuatam doctrinam (vt iniquè exponis) venditarent; sed vt fidem suam ex sacris litteris petitam, ad Dei gloriam & ecclesiæ institutionem, liberè profiteantur. Ac propterea sententiæ suæ rationes, ex Dei verbo & orthodoxo Patrum consensu, adiungunt; vt auditores suos, non ab humanis placitis (vt apud vos solenne

ſolenne eſt) ſed à cæleſtibus oraculis pendere, doceant. Denique ſi *quando ſic ſibi videri, aut ſeſe ita putare dicant*, non ea ratione doctrinæ ſuæ fundamenta incerta eſſe oſtendunt; ſed in rebus dubijs modeſtiam ſuam teſtantur. Quis enim aſſertionem omnibus in rebus meritò requirat? quis veſtrorum doctorum non auerſetur temeritatem, qua de rebus cæleſtibus & ab humana cognitione abſtruſis, ita extra ſacras literas arroganter ſtatuunt, ac ſi cum Paulo Apoſtolo, *in tertium* vſque *cælum penetraſſent*, & *omnia Dei myſteria peruidiſſent*? Ac propterea non noſtri ſolùm, ſed etiã Eraſmus, Viues, & ante eos ſapientiſſimi viri, Eccleſiæ Romanæ addicti, de ea re grauiſſimè conqueſti ſunt, & veſtrorum ſcholaſticorum theologiam, turpem eſſe *ματαιολογίαν* pronunciarunt. Cæterùm quam de Catechiſmorum noſtrorum origine allinis maculam, eam Harmonia earundum & veſtrum exemplum facile diluet. Sed quid de Pontificijs doctoribus proponis?

COSTE-

COSTERVS.

CATHOLICI quum priuatam aut propriam religionẽ non habeant, ſed communem, vniuerſalem, Catholicam, aliter loquuntur. *Sic*, inquiunt; *credit Eccleſia, ita docuerunt maiores. Hæc eſt fides Catholica.* Obſtupeſcentibus claudi curationem Iudæis, *Viri Iſraëlitæ* (inquit D. Petrus) *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi propria virtute, aut religione fecerimus hanc ambulare* (ita enim Græcè legitur) *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob,* &c. quaſi velit dicere; Fecimus ita, non propria ſed communi religione, qua Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob colitur: quam etiam vos hactenus, ſed in vmbra atque figura, tenuiſtis. Act. 3.12.

GOMARVS.

AIS quidem veſtros communem, vniuerſalem, Catholicam habere religionem; verùm ſecus à nobis antea demonſtratum eſt: & id ipſum quod probationis loco adducis (etſi doctrinam noſtram non lædat) ſententiam,

quam probandam suscepisti perspicuè euertit. Nam maiores vestri, concilio Tridentino, vulgatæ versionis auctoritatem sanxerunt: tu vero contrà (vt fieri debere censet Augustinus, & decretum Pontificum confirmat) ex Græcis fontibus repurgare studes. Ex quo omninò sequitur, non quicquid maiores instituerunt probandum, nec semper eorum vestigijs vos inhærere. Ac sanè laudabile esset studium tuum Costere, si cum recta ratione à maioribus discederes. Nunc verò, quum sanam eorum sententiam & sacrarum literarum sensum peruertas, *quid fidei* Iesuitæ mereantur lectores iudicent. Quod vt meliùs liqueat, age Patrum & Costeri interpretationem conferamus. Illi εὐσέβειαν verterunt *pietatem:* tu vero religionem, *ita enim*, ais, *Græcè legitur*. Imò verò Costere, si vocis naturam examinare velimus non religio Græcè legitur, sed recta religio hoc est (vt rectè maiores verterunt) *pietas*, quæ in Deum iustitia est. Religio enim aut vera est aut falsa, de quarum vtraque grauiter scripsit Latinorum Patrum longè

Sess. 4.

Orat. dist. 9. § Ex veterum.

longè eloquentissimus Lactantius Firmianus. Quamobrem perperam vocē ἀσέβειαν aliter interpretaris: quum potius, siquid in antiqua & vulgata versione libuisset corrigere, præcedentem dictionem potuisses, ad vitandam ambiguitatem, permutare, & δύναμιν, non *virtutem* sed *vim* interpretari. Cæterùm (vt error errorem trahit) quemadmodum verba Apostoli corrupisti, sic rem ipsam multò indigniùs peruertis. *Quasi* (inquis) *velit dicere, fecimus non propria, sed communi religione, qua Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob colitur.* Sed quæso, Costere, quando vt Catholicos loqui gloriaris, ita credidit ecclesia, ita docuerunt maiores? Ostende, si potes, non propriam, sed communem & vniuersalem interpretationis tuæ religionem. Misera profectò Pontificiæ religionis comprobatio, quæ rei, quam firmandam suscepit, tam dißertè contradicit! Quis enim tam cæcus est, vt in tanta orationis Apostolicæ luce, non videat, Petrum non opponere propriam δύναμιν, & ἀσέβειαν maiorum religioni, sed Dei & Christi po-

 tentiæ

tentiæ & gratiæ: vt demonstraret non humanum, sed diuinum esse, quod acciderat? vt doctè Chrysostomus & Theophylactus exponunt. Idque patet ex sequentibus Petri verbis, *Glorificauit Filium suum Iesum: &, hunc confirmauit nomen ipsius.* Quare hæc tua interpretatio, quemadmodum doctrinam nostram non minuit; sic scripturam contaminat, & à maiorum ac Patrum interpretatione recedit. Ac propterea, quum ne hoc quidem in loco (vt demonstrare contendis, Pontificios sic loqui, *ita credit Ecclesia, ita docuerunt maiores, hæc est fides Catholica*) maiorum & Catholicam doctrinam secutus sis, facilè prudentes lectores vident, quàm parum fidei, dum Patres iactatis vobis tribuendum sit.

Act. 3, 13, 16.

CAPVT XI.

Porro vndecimam instituis antithesim, in contrario, de maiorum salute, iudicio.

COSTI-

COSTERVS.

HÆRETICI, tametsi neminem damnari à se dicunt, ipso tamen facto, præ se condemnant orbem vniuersum. Quum enim ex arcanis sacrarum literarum constet, *Vnicam esse fidem*, sicut *vnus est dominus*, *vnũ Baptisma, vnus Deus & pater omium:* & planissimè liqueat, *Sine fide impossibile esse placere Deo*, necessariò efficitur illos omnes, qui aliter, atque hæretici, crediderint, à beneuolentia & gratia Dei alienos extitisse. Perierunt ergo omnes maiores nostri, perierunt omnes ecclesiæ sanctæ Patres & doctores, perierunt omnes Christi martyres & confessores: nec quisquam in cælum aspirauit toto orbe terrarum, à primis Apostolorum temporibus, vsque ad illum hæresiarcham, qui nouam fidem, in omni memoria inauditam, inuenit. Sed aiunt simplicitate excusari maiores, quia aliter instituti non fuerunt. Verùm D. Paulus quum dicit, *Sine fide impossibile esse placere Deo*, neminem prorsus à damnatione excipit, siue indoctum

II. Antithesis.

Eph. 4. 5.

Heb. 11. 6.

Heb. 11. 6.

ſiue ſimplicem, ſiue ſeductum. *Quia* nulla infidelitas qualiſcunque, ſeu Iudaica, ſeu Ethnica, ſeu hæretica (tot enim ſunt eius ſpecies) quocunque colore aut pretextu, gehennam effugiet. Deinde viros ingenioſiſſimos, doctiſſimos, in diuinis ſcripturis verſatiſſimos, magiſtros & Doctores Eccleſiæ laudatiſſimos (quales per orbem vniuerſum, in omni ætate, non pauci floruerint) nulla poterit ignorantia, ab interitu vendicare, *quum illis* clauis ſcientiæ & munus docendi commiſſum ſit: ſed ſicut indoctus *præceptor* grauiori mulcta dignus eſt, quod, quum ſit ineptus ad docendum, cathedram aſcendat: ita Doctores errantes, & in errorem inducentes, digni ſunt, qui plagis vapulent multis: ſicut populus cæcus cæcos duces ſequens, etſi plagis vapulabit paucioribus, vapulabit tamen, & cum cæcis ducibus in foueam cadet.

Matth. 15. 14. Luc. 12. 48. Matth. 15. 14.

GOMARVS.

GRAVE profectò crimen eſt, condemnare præ ſe orbem vniuerſum:

ſum: nec leuius eſt, Coſtere, quòd immerentibus, id criminis impingis. Etſi enim hæreticorum patrocinium ſuſcipere, nec iure poſſim, nec velim; pios tamen Dei ſeruos, quos hoc nomine odioſo, cum reliquis aduerſarijs veſtris inuoluis, aduerſus iniuſtam accuſationem tuam tueri veritas & charitas Chriſtiana iubent. Quarum vtramque, indignè abs te hoc loco violatam, comperio. Primùm enim, quænam ea diſſerendi eſt ratio, quod toties tibi aſſumis; veſtram doctrinam eſſe antiquam illam maiorum religiorum, aduerſarios veſtros hæreticos & doctrinam eorum nouam, quum id in controuerſia maximè verſetur? Mala certè cauſa, non melioribus digna firmamentis! Nam quis adeò deſipit & contra rei veritatem liberalis eſt, vt id vobis largiatur? Fruſtra tam graues agitantur controuerſiæ; fruſtra tantum operæ in Enchiridio tuo perſcribendo impendiſti, ſi id, quod vobis arrogas, citra controuerſiam, concedendum. Negamus, Coſtere, negamus veſtram doctrinam eſſe antiquam illam Apo-

stolorum & orthodoxorum Patrum doctrinam: nouitatem, quam nobis affingis, non agnoscimus, & ad sacrarum literarum iudicium (quod tantopere pertimescitis) & ad orthodoxorum patrum consensum (quem tam cõfidenter iactatis) prouocamus. *Hinc* causæ vestrę argumenta desume, siquid obtinere voles: & quod in quæstione versatur, rationis loco adducere, desine: ne, apud prudentem lectorem, iustum doctrinæ Pontificiæ contemtum, concilies. Deinde verò, *vt hoc imbecille & controuersum ecclesiæ* vestræ fundamentum omittam, quàm sanctè de maioribus iudicas? Agnoscimus vnam esse fidem, si fundamentum consideres, sed circumstantiarum tamen ratione certi cognitionis & fidei sunt gradus. Itaque qui fundamentum fidei euertunt, illos verbum Dei à salute excludit; qui verò aliter in reliquis, infirmitate quadam humana, sentiunt, eos minimè damnandos, cum sacris literis, censemus. Quare quod infers
1.Cor.3.11. 15. Phil.3.15. *Perierint ergo omnes maiores nostri;* id minimè consequitur. Quamuis enim

omnes

omnes aduersus veram religionem errores damnationem, vt reliqua peccata, merentur: non omnes tamen exitium adducunt: sed plurimi, si fundamentum piè retineatur, à Deo gratiosè condonantur. Nam si, ad rigidam iudicij tui lancem, orthodoxos Patres examinare lubeat, non solum Originem & Tertullianum, sed etiam Cyprianum, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Hilarium cæteraque antiquæ ecclesiæ lumina, quibus sui (vt postea ostendemus) in religione non defuerunt errores, condemnabis. Quare dum aduersariorũ vestrorum, in damnandis Patribus temeritatem probare studes, in eandem iniquitatem imprudenter incidisti. Vt vero à primis illis Patribus, ad posteros & propinquiores descendamus, nunquam suis fautoribus destituta fuit veritas. Quamuis enim, Romani Pontificis tyrannide, depressa fuit ecclesiæ libertas; nunquam tamen ita oppressa, quin semper durarit, & liberam vocem subinde ediderit, ad Dei gloriam & Babylonis ruinam. Hinc illæ Romanæ

Deut. 27. 26.

Controuersia. de Ecclesia.

Ecclesiæ lachrymę & in cætum piorum (quem odiosè Waldensium, Wiclephistarum, Hussitarum, & similium nominibus infamem reddere studuit) crudelitas subsecuta est. Quam veritatis oppugnationem densioribus ignorantiæ tenebris, Deus iustissimè vindicauit. Quare non est, cur tam verbosè, magistros & doctores vestros, à veri ignorantia purgare, studeas. Nam quum, reiecta diuini verbi norma & lucerna, ad humana commenta, se totos conformarint; quid mirum est eos, grauissimè hallucinatos, *in errorũ* scopulos impegisse? Etenim vt aduersarij vestri sileant, scripta ipsorum, quæ tam fœdè cum sacris literis & inter se dissentiunt, id apertissimè demonstrant. Quod quum hoc loco probare sit facillimum, in controuersiam De ecclesia, vbi commodior futura est occasio, differemus. Quare reliqua hoc loco excutiamus.

COSTERVS.

PRÆTEREA maiores nostri magna deliberatione, diligentique inquisitione

tione ac maturo iudicio adhibito, hæreses omnes, quę post ipsos exortæ fuerunt exploserunt atque eiecerunt: quomodo ergo eos, harum rerum ignaros atque insolentes fuisse, credibile est? Nam quod ad nostra quidem attinet tempora, nulla ferè est excogitata hæresis, quæ olim, licet diuersis temporibus, notata, & totius Ecclesiæ anathemate icta, non fuerit. Errores de fide, explosi sunt in Eunomio & Aëtio; de sanctissima Eucharistia in Berengario; de veneratione sanctarum reliquiarum in Vigilantio; de ecclesia in Donatistis; de pœnitentia in Nouatianis; de imaginibus in Iconoclastis, &c.. Damnant igitur orbem vniuersum hæretici, non exigui sed grauissimi sceleris, blasphemiæ, infidelitatis, idololatriæ. Ariani, qui post Ebionitas negarunt Christi diuinitatem, maiores omnes idololatriæ mortuos condemnauerunt. Qui in Eucharistia, præter panem, nihil esse concedunt, coguntur dicere, tot seculis orbem vniuersum pro Deo suo frustum panis coluisse. Qui cultum sanctorum, venerationem imaginum,

sacri-

ſacrificium miſſæ, ſacras ceremonias, meram ſuperſtitionem eſſe docent, omnes omnium temporum atque locorum Chriſtianos, impios atque nefarios in Deum fuiſſe pronunciant. Anabaptiſtæ, qui Chriſtianorum Baptiſmum, pro nihilo putant, Chriſtianos omnes, pro non baptizatis, pro Iudæis, atque ethnicis habent.

GOMARVS.

MAIORES veſtros mirificè extollis, Coſtere: ſed quum ab eorum antiquiſſimis, doctrina & moribus, longiſſimè diſſideatis, fruſtra eorum auctoritatem prætendis. Nam errorem veſtrum de traditionibus humanis, quas Dei verbo æquatis, in Phariſæis Chriſtus & Apoſtoli damnauerunt: errorem de Angelorum cultu, poſt Apoſtolum Paulum & Concilium Laodicenum, Chryſoſtomus, Theodoretus, Epiphanius, Auguſtinus in Simone mago & Angelicis; de inuocatione & cultu virginis Mariæ, in Collyridianis Epiphanius, & alij Patres: de imaginum Chriſti veneratione, in Gnoſti-

In Ep. ad Col.

De Hæreſ. cap. 39.

Contra hæreſ. lib. 3. Tom. 2. hæreſ. 79.

Gnosticis & Carpocratianis Epiphanius & Augustinus: de liberi arbitrij viribus & operum meritis in Pharisæis & Pelagianis; extremam vnctionem in Heracleonitis: & reliquos errores vestros in alijs condemnauerunt. Quæ vero de fide, Eucharistia & cæteris obiectas, ea distinctè in controuersia de Ecclesia (vbi eadem repetis) explicabuntur. Quare quæ de orbis vniuersi damnatione proponis, vobis potius, quàm aduersarijs plerisque cōueniunt: à nobis verò aliena esse ex superioribus antithesibus apparet. Cæterùm quod ais; *Qui in Eucharistia, nihil præter panem esse concedunt, coguntur dicere, orbem vniuersum, pro Deo suo, frustrum panis coluisse:* in ijs inquam paucis verbis, non pauci errores. Nam quis adeò à sacris alienus, quin, in Eucharistia, præter panem, verbum & institutionem diuinam agnoscat: qua accedente, fiat sacramentum? sed ea scilicet est vestra sanctitas, vt Christi doctrina repudiata, non panem esse in Eucharistia, sed species tantum & accidentia panis statuatis: sub quibus verum Christi corpus

De hæres. c. 71
Rom. 10. 3.
August. de hæres. c. 16.

(quod

(quod scriptura & articuli fidei *cælo* ad diem iudicij ascribunt) commentitia vestra transsubstantiatione abscondatur. Deinde verò grauis admodum in Christum contumelia est, quum frustum panis consecrati, pro vero Deo colitis: & insignis in homines iniuria, quod orbi vniuerso, idololatriæ vestræ & errorum societatem, ascribis. Nam vt de orthodoxis patribus & ecclesijs Græcis, Syris, Ægyptijs, quæ Pontificis iugum non agnoscunt, nihil dicamus, quamuis iamdiu in *Ecclesia Romana* publicè frustum *panis consecrati, pro* vero Deo turpissimè, à plerisque *adoratum* sit; non dubitamus tamen quin multa piorum millia in ea latuerint, quæ genua sua Baali (vt Eliæ conque-
1.Reg.19.18. Rom.11.4. renti respondit Deus) nullo modo inclinarint. Nec id solum sentimus ex
1.Cor.13.7. communi charitatis lege, quæ optimam de aliorum salute spem concipit, sed etiam, ex plurimorum testium veritatis constantia, habemus exploratum. Quare quum cultum sanctorum, venerationem imaginum, sacrificium missæ, plerasque sacras vestras ceremonias,

nias, meram esse superstitionem docemus, non *omnes omnium temporum atque locorũ Christianos* (vt falsò concludis) *impios ac nefarios in Deum fuisse* pronunciamus; sed eorum laudamus pietatem, qui idem nobiscum ex sacris literis orthodoxè senserunt: vt in huius enchiridij tui examine plenius liquebit. Nunquid verò sanctius de ijs iudicatis?

COSTERVS.

NON ita contumeliosè sentiunt ac loquuntur Catholici de maioribus, quorum memoriam sempiternam in benedictione colunt, quorum mores & fidem admirantur, quorum vestigia persequi toto pectore conantur. Ipsorum vox est: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire & à constitutis Patrum nullatenus deuiare.* Felix. Can. 2. His semper ante oculos obuersatur illud Apostolicum, *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Iesus Christus heri & hodie ipse & in secula. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci;* Heb. 13. 7. & nouis doctoribus omnibus qui ma-

iorum

iorum doctrinam non afferunt, sed aliud Euangelium præter id quod à Patribus per manus acceperunt cum eodem Apostolo anathema dicunt.

GOMARVS.

IMO verò, quid fieri potest in Patres contumeliosius, quàm, quod errores vestros ijs aspergitis: quod eorum scripta, ad veritatem obscurandam pro arbitrio truncatis & adulteratis, vt *Indices* vestri *expurgatorij* euincunt? Qua in Patres contumelia, nihil vnquam extitit indignius, nihil impudentius: nullumque malæ causæ ac malæ fidei certius argumentum. Quod autem addis, *Ipsorum vox est, Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare.* Agnosco verba Hormisdæ Papæ: quæ quàm feliciter Felici ascribas, videris. De re autem sic statuimus, Primam salutem esse rectæ fidei regulam, hoc est, doctrinam s. literis (quæ propterea Canonicæ dicuntur) à Deo traditam custodire, & à constitutionibus Patrum, quatenus ei regulæ consentiunt, nullo modo

modo declinare. Quæ omninò Apostoli mens est, in eo quod adfers præcepto *Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt* VERBVM DEI. Et in eandem sententiam Felix primus pontifex, ad sacrarum literarum fontes, contra Arianos prouocat, *Hi*, inquit, *ignorantes diuinarum Scripturarum & Apostolorum iura, ex proprio aut adulterino sensu talia fabricant & seducere corda fidelium quærunt. Nos verò ad ipsius fontis originem redeamus, ex quo, Filium Patrem semper videre potuisse, vel posse, euidentioribus testimonijs de veteris & noui instrumenti literis doceamus.* In qua pia sententia acquiescimus: nec aliud, quàm quod ab Apostolis & Euangelistis traditum est, amplectimur. Epist. 3.

CAPVT XII.

Itaque ad duodecimam antithesin progrediamur: quæ vocationis, aut potius executionis illius diuersitate, definitur.

COSTERVS.

NVLLI hæretici, ad sua dogmata noua populo proponenda, legi- 12. Antithesis.

timè missi sunt: quanquam enim plerique eorum Episcopi, Presbyteri & doctores, ex ordine munus & officium docendi acceperunt, nulli tamen facultas data est, noua decreta fabricandi, sed hoc tantùm candidè & syncerè tradendi, quod, ei qui misit, probatur. Quemadmodum enim ei, qui doctor iuris publicè renunciatur, non confertur potestas medicinam vel Theologiam profitendi, sed iurisprudentiam: & legatus ad aliud nihil censetur mitti, quàm ad ea, quæ à Principe accepit negotia tractanda: simili modo instituitur Episcopus aut concionator, ad Catholicam & vniuersalem totius Ecclesiæ doctrinam populo explicandam; non ad nouas, vel suas, vel aliorum nouatorum, opiniones venales exhibendas.

GOMARVS.

CELEBRIS est profectò de vocatione pastorum quæstio: sed ita à nostris pertractata, vt veritatis studioso plenè satisfactum sit. Duo enim ab iis demonstrata sunt, nempe legitima

nostro-

noſtrorum paſtorum ad Dei verbum (non hominum commenta) promulgandum vocatio, & fidelis illius administratio. Quorum prius nobis non potes derogare: vt antea oſtendimus, & hiſce verbis non obſcurè ſignificas; *quanquam plerique eorum Epiſcopi, Preſbyteri, & doctores, ex ordine munus & officium docendi acceperint*: alterum vero negas quum ais *ad ſua noua dogmata*: ſed accuſationis huius vanitatem, totius operis noſtri ſeries, confutabit. Nam quæ ex diuinis & antiquis Prophetarum & Apoſtolorum literis depromta ſunt, nouitatis notam non merentur; ſed quæ ex humani ingenij vanitate, ſacris literis acceſſerunt. Quorum ampliſſimam apud vos copiam extare, ex tam varijs traditionibus & ceremonijs veſtris, elucet. Sed quid de veſtrorum hominum vocatione aſſeras, attendamus.

COSTERVS.

CATHOLICI maximam ſemper legitimæ miſſionis & vocationis rationem habuerunt: vſque adeò, vt

Vide Innocentium 3 de hæreticis, cap. Cũ ex iniuſto.

multos virtute præcellentes viros; non ſolùm vocare aut mittere; ſed cum Moſe & Ieremia quaſi per vim impellere oportuerit: vt conſtat de Ambroſio, Baſilio, Gregorio alijſque innumerabilibus.

GOMARVS.

SI Catholici maximam ſemper legitimæ vocationis habuerunt rationem, inde conſequitur veſtros Pontifices, epiſcopos, paſtores, nihil minus eſſe, quàm catholicos. Nam quum libera electio, *doctrinæ morumque* examen & approbatio, *conſenſus* Eccleſiæ, ad legitimam vocationem pertineant, vt ſacræ literæ & veſtri canones docent; pleraque in vobis deſiderantur: contra verò ſimonia, ceteræque artes malæ, primas obtinent: vt rei experientia & grauiſſimorum auctorum veſtrorum teſtimonia declarant. Nam quod ſanctus veſter Bernardus de Eugenio Pontifice ait, *Quem dabis mihi de tota maxima vrbe, qui te in Papam receperit, pretio aut ſpe pretij non interueniente*, id pleriſque Romanis Pontificibus & Epi-

De Conſiderat. lib. 4.

ſcopis

ſcopis conuenit. Quod ſi neges, Annatarum (vt appellatis) improbitas, quam ſapientes Reges Principes Imperatores ſæpius fruſtra tollere ſtuduerunt, & eorum Grauamina concilijs veſtris miſſa abundè demonſtrant.

Capvt XIII.

Porro decimamtertiam antitheſim doctrinæ, duratione deſcribis.

Costervs.

Inconstantia in dogmatis fidei, propria eſt hæreticis & perpetua. Et illa quidem duplex. Non nunquam vnus & idem ad priorem ſuam opinionem, tanquam imperfectiorem, adijcere aliquid ſolet, & doctrinam mutare. Quod feciſſe Nouatianos confirmat D. Ambroſius, qui quum prius docuiſſent, nullum poſſe peccatum in eccleſia condonari, poſtea Catholicorum argumentis conuicti, exceperunt leuiora. Pelagianos ſcribit D. Auguſtinus quum principiò orationes, quæ ad gratiam Dei impetrandam fieri ſolent, damnauiſſent, poſtea palinodiam

13. Antitheſis.

Prior inconſtantia.

Lib. 1. de pœnit. cap. 2.

Hæreſ. 88. ad Quoduult Deum.

nodiam cecinisse. Ariani Christum nunc heterousion, nunc homoousion dicebant, & singulis ferè conuentibus nouas formulas fabricabant. De inconstantia Berengarij multa Guitmundus. Loci cõmunes Philippi Melanchthonis, viuente auctore, vix vnquam sine nouo errore typis mandati fuerunt. Confessio Augustana, initiò quidem contra Caluinianam disciplinam apertè decertauit, postea eius aduersus Lutheranos patrona & vindex facta est. Non minor inconstantia & dissimilitudo in discipulis hereticorum apparet: qui vt auctoritatem *sibi* parent, & in numero doctorum & sapientum virorum habeantur ad impiam præceptorum doctrinam, aliquid, & id quidem fere deterius, apponere solent: sicut videre est in omnibus discipulis Simonis magi, Arij, Donati & cæterorum omnium. Hinc nulla vnquam hæresis sola constitit, sed quum plures vnum doctorem audirent, quod ingenij ostentandi gratia alius aliud adderet, proseminatæ sunt variæ, quasi familiæ, dissentientes inter se & mul-

tùm

tùm disiunctæ & dispares. Ex officina Simonis magi exijt pene innumerabilis diuersorum hæreticorum multitudo vsque ad ipsos Manichæos: qui postea in Catharitas, Macarios, & in propriè dictos Manichæos, sunt dispertiti. Ab Aëtio orti sunt Macedoniani, Aëriani, Aëtiani, & alij quàm plurimi, sicut hac tempestate à Luthero, Caluinistæ, Anabaptistæ, Confessionistæ emanauerunt. *Pars Donati* (inquit D. Augustinus) *in multa minutissima frusta conscissa fuit.* Lib. 1. contra Donatist. ca. 6.

GOMARVS.

MAGNA & laudabilis est virtus, in doctrina puriori, constantia: turpis contrà inconstantiæ macula. Ac propterea, quum modis omnibus aduersarios vestros superare coneris ijs duplicem inconstantiam obiectas. Quarum priorẽ statuis in doctoribus, quòd suam doctrinam mutent. Cuius rei, vt veterum hæreticorum exempla (quæ nos non attingunt) producis; sic etiam pij & orthodoxi viri Philippi Melanchthonis locos communes indi-

gnè accuſas. Exprobras enim, quòd viuente auctore, vix vnquam, ſine nouo errore, typis mandati fuerint: ſed qua ratione id confirmas? An quod librum ſuum ad eccleſiæ vtilitatem auxerit & illuſtrarit? at hac ratione Enchiridion tuum condemnabis, quod nuper aliquot locis & bona controuerſiarum parte locupletatū atque emendatum, in fronte & titulo libri profiteris. Deinde verò, vt id vobis ad accuſationis tuæ iniquitatem amplius conuincendam largiamur, mutarit ſanè aliquid in doctrinæ modo; quum in melius mutarit, non odium aut dedecus, ſed laudem & amorem promeretur. Nec etiam mirandum eſt eum, qui in denſiſſimis Papatus tenebris erat enutritus, ex ijs emerſiſſe paulatim, & diligenti ſacrarum literarum examine, & pia Dei inuocatione, in veritate profeciſſe. Quæ progreſſus ratio in antiquis etiam patribus obſeruari poteſt. Epiſt. 7. *Ego* (inquit ingenuè ac piè Auguſtinus) *proinde fateor, me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt.* Qua pia mente errores ſuos

non

non paucos, per varios libros dispersos, virum sanctissimum retractare non puduit: vt quos imprudentia sua & auctoritate in errorem adduxerat, hac Christiana palinodia, in veritatis viam secum reuocaret. Quem sanè, si tam re imitari, quam verbis extollere studeretis, plus apud vos pietatis & sinceræ doctrinæ eluceret. Deinde verò ad confessionem Augustanam quod attinet, non mirum est si eandem, ex Philippi Malanchthonis auctoris mente, interpretemur. Itaque frustra ex hisce, nostrorum doctorum in doctrina inconstantiam, probare studes. Nec meliùs etiam discipulorum inconstantiam demonstras. *Apparet* sanè *ea* (quam statuis) *dissimilitudo in discipulis hæreticorum; qui, vt auctoritatem sibi parent, & in numero doctorum & sapientum virorum habeantur, ad impiam præceptorum doctrinam aliquid, & id quidem fere deterius apponere solent:* sed quid illud quæso ad Ecclesias nostras pertinet? Nam primùm demonstrandum tibi est, Costere, præceptorum nostrorum doctrinam, quam sequimur, esse impiam, aut ab aliqua

pia illorum sententia nos recedere. Nam quum Caluinus & alij in veritatis stadio longius progressi sunt, quam Lutherus (qui vt vir fuit maximus & de ecclesia optimè meritus, sic residuum aliquid fæcis pontificiæ, in doctrina de sacramentis, retinuit) iniquè eos inconstantiæ & erroris insimulas. Denique quod ais *à Luthero Caluinistæ, Anabaptistæ, Confeßionistæ emanauerunt*, iniurijs abundat. Primùm enim quod Caluinistas eos nominas, qui in Christi nomen baptizati sunt, eius solo verbo omnia reformanda docent, & Christo solum gloriantur, conuitium est, à rei veritate & charitate Christiana alienum. Nec enim Caluinum nouæ doctrinæ auctorem agnoscimus, sed fidelem antiquæ sacræ scripturæ præconem: nec in verba illius iuramus, sed eatenus tantùm sequimur, quatenus Dei verbum fideliter proponit. Deinde verò quod Caluinistas à Luthero emanasse affirmas, mera ac solita vestra calumnia est. Nec enim Lutherus auctor doctrinæ nostræ, sed propagator tantum. Denique quod Anabaptistas ab eo-

ab eodem profluxisse obijcis, pari omnino ratione & iure, Simonem magum, Ebionem, Cerinthum, aliaque hæreticorum portenta (quæ in ecclesia Apostolica à puritate doctrinæ defecerunt) Apostolis asscribes. Itaque refutata accusatione tua, reliquum est, vt quæ ad Romanæ ecclesiæ laudem proponis, expendamus.

COSTERVS.

VERVM Ecclesia Catholica, tot circumfrementibus hæresium & innumerabilium sectarum procellis, sui semper similis, stabilis ac prorsus immobilis persistit. Est enim *columna & firmamentum veritatis*, & à sapiente architecto, super firmam petram ædificata, *aduersus quam portæ inferi non præualebunt*. Et licet in rebus ad fidem non pertinentibus, diuersi diuersa sentiant, siue illa philosophica sint, siue Theologica: licet non vno more institutoque viuatur in Ecclesia Catholica (alia enim est secularium, alia Ecclesiasticorum, alia monachorum viuendi ratio) licet varij sint religioso-

1. Tim. 3. 15.
Matth. 16. 18.

gioſorum ordines, ſicut & ſecularium, & Eccleſiaſticorum hominum plures ſunt gradus: in dogmatibus tamen fidei, eſt vnus omnium conſenſus. Et quamuis forte nonnulla melius fuerint poſterioribus temporibus enucleata, prout neceſſitas poſtulauit, nihil tamen vnquam in Eccleſia creditum fuit à poſteris, quod cum fide Patrum vel pugnaret, vel ab illa quoquo modo diſcreparet.

GOMARVS.

EST ſanè Coſtere Eccleſia vera, *columna & firmamentum veritatis* & ſuper firmam petram ædificata & ab exitio libera; quamuis non ab omni periculo & iactura: vt triſtis multarum eccleſiarum & verè piorum caſus ſæpius demonſtrauit, & in controuerſia de eccleſia, pleniùs exponetur. Quòd autem hanc veræ Eccleſiæ laudem Romanæ eccleſiæ aſcribis, vobis libenter largiemur, vbi veritatem doctrinæ veſtræ, ex ſacris litteris, comprobaris. Verum quum ab ijs ad humana commenta & fabulas defeceritis, & Chriſti

vnicam illam ecclesiæ & salutis petram esse pernegetis, inanem vestram iactationem prudentes vident. Nam quod vestrorum doctorum perpetuum consensum extollis, id ex accurata eorum comparatione in contrauersia De Ecclesia pluribus & apertissimis contradictionibus ipsorum diluetur. Ex quibus perspicuè summa doctorum Pontificiorum cum sacris literis, orthodoxa antiquitate, & inter se dissensio, & doctrinæ ipsorum turpitudo, apparebunt.

CAPVT XIV.

Quare ad prostremam Antithesin, quæ in miraculis consistit, transeamus.

GOMARVS.

VIDENTVR denique ad vnum omnes hæretici contra miracula, quæ per sanctos in ecclesia Dei fiunt, coniurasse. Quum enim nulla illi vera miracula, ad sua dogmata stabilienda, patrare possint, nec à sua perfidia, Catholicorum miraculis, abduci velint; necesse est, vt ea, vel pro dæmonum operibus (more Pharisæorum,

14. Antithesis

De Arrianis B. Ambros. Serm. 91.

rum, qui diuina Christi opera, principi dæmoniorũ Beelzebub, asscribebant) vel pro fictis & commentitijs habeant. Conatus quidem fuit Cyrola Episcopus Arianus (vt est apud D:Gregorum Turonensem) cuidam, qui se cæcum simulauerat, lumen restituere; sed ita parum negotium successit vt videntem lumine orbauerit. Ex hoc odio miraculorum eò audaciæ & insaniæ proruperunt hæretici, vt quum populum miraculis commoueri cernant, sacras reliquias & imagines, ad quas eiusmodi mirabilia Deus operari dignatur, disturbent, confringant, exurant.

Lib. 2. Hist. Francorum cap. 5.

GOMARVS.

VT magna est verorum miraculorum præstantia, sic non perpetua est eorum necessitas. Itaque quod aduersarijs vestris eorum exprobas inopiam, eadem Chrysostomi sententia, quam ipsemet postea subijcis, respondemus. Etenim si miracula requiris producimus tibi prophetarũ Christi & Apostolorũ miracula, omni exceptione maiora: Quibus ea doctrina, quam tuemur,

tuemur, ante multas annorum centurias confirmata est. Nam quod de nouitate doctrinæ nostræ perpetuò regeris, eadem facilitate & maiori iure à nobis negatur, quàm à vobis asseritur. Nos enim ad sacrarum literarũ examen & iudicium, Christo duce, prouocamus: vos verò, noctuarum instar, lucem & summum earum iudicium subterfugitis ac detrectatis. Scilicet vt inde omnibus constet, quantum doctrina vestra fidei mereatur. Miracula verò vestra eiusmodi sunt, vt ea non immeritò aduersarij vestri aspernentur; *quòd* (vt rectè opinaris) *vel pro dæmonum operibus, vel pro fictis & commentitijs habent.* Nam vt omnia Christi miracula (quæ impiè à Pharisæis damnabantur) fuerunt reuera miracula diuina, & ad sacrarum literarum doctrinam confirmandaum edita: sic contra, quæ à vobis tam prolixè commendantur, ad erroris patrocinium & doctrinam Dei verbo repugnantem, vi dæmonis aut arte humana effecta: aut ad rudiores fallendos, à vobis conficta sunt. Vt enim Christo-

Christophorum & similes sanctos, qui nunquam in rerum natura extiterunt (quod doctores Pontificij Villa-vicentius & Baronius agnoscunt) fabulosè estis commenti: miracula plurima pari fraude & impudentia confinxistis. Nam, vt alia infinita omittam, quid absurdius & indignius fingi potest ijs miraculis quæ Aurea vestra Legenda, Cõformitatum libris & Sanctorum vestrorum, Bonauenturæ Cardinalis Legenda, & Antonini Episcopi Historia, de Dominico, Francisco, & reliquis eius farinæ sanctis vestris referuntur. Ea enim adeò à miraculorum diuinorum grauitate & sanctitate abhorrent: adeò putida sæpe & insulsa sunt, vt referre pudeat. Cæterùm quia non solùm vulgò & imperitis probantur, sed etiam à sanctis vestris cõscripta: à summis doctoribus & monachis vestris confirmata, & non ita pridem, consensu Pontificio, iterum in lucem edita sunt: quædam ex ijs in controuersia de Ecclesia recensebo; vt admirandam miraculorum vestrorum absurditatem lectores cognoscant. Interim prætereo

hoc

hoc loco silentio non possum, Laureteni sacelli fabulosissima miracula, quæ ab Horatio Tursellino Romano Iesuita, in Lauretana historia Moguntiæ hoc anno edita, & Clementis octaui Romani Pontificis priuilegio confirmata, describuntur. Narrat enim domum beatæ virginis, funditus cum simulacro ipsius, è Galilæa Angelorum ministerio per aërem transportatã primùm in Dalmatiam: atque inde secundò, post quinque menses, in Italiam, in Pyceni Syluam: vnde tertiò, post octo menses, in collem duorum fratrum: postremò inde, post paucos menses, in eum collem, vbi nunc visitur translatam. Hisce miraculis simile est quod ait, *venienti domicilio arbores obuias velut venerabundas inclinasse se: ac deinde pronas perstitisse, quoad æuo, ventis, ferro, procumberent.* Alia, paris momenti, omitto; quæ summam vestrorum sacrificulorum & Iesuitarum, in miraculis fingendis & spargendis, impudentiam perspicuè demonstrant. Omitto fœdam illam Sacelli Lauretani inscriptionem. *Hic tabernaculum Dei*

Hist. lib. 1. cap 1.

Cap. 5. & 6.

Cap. 7.

Cap. 8.

Cap. 9.

cum hominibus, & Leonis Papæ reliquorumque idololatriam: quæ eadem historia recensentur. Itaque quod à miraculis vestris tantopere abhorreamus nulla id contingit insania vel audacia (vt peruersè iudicas) sed sancto idololatriæ odio & iusto gloriæ diuinæ amore. Quis enim adeò vestrarum rerum imperitus, vt varias fictorum miraculorum imposturas non obseruet? Quis adeo inhumanus, vt eum simplicioris populi, à vobis grauissimè seducti, non misereat? Quis denique adeò amore Dei vacuus, vt *reliquias vestras & imagines*, quibus miserè rudiores *fascinatis*, tanquam perniciosa idolo*latriæ* instrumenta disturbare, confringere, exurere, si auctoritate magistratus iubeatur aut probetur, non contendat? Nam si huius rei confirmationem ex sacris literis desideres, ne longius euageris, secundum tantùm decalogi præceptum & Dei explicationem attende; & quàm iusta iudicij lance imagines vestras ponderemus & æstimemus, facilè comperies. De reliquijs verò quid dicam? Etenim quum nec certæ apud

vos

vos extent sanctorum reliquiæ, nec rectè honoretis: miraris, quod eas auersemur? nam quid certi in ijs esse possit quum eadem corpora, capita, & reliquias sanctorum, varijs in locis, eodem tempore extare, turpissima contradictione fingatis & turpiori idololatriæ adoretis? Quod adeò rei experientia perspicuum est, vt probationem ampliorem non desideret, & quam plurimis ac claris exemplis apertè & prolixè à fidelissimo Christi seruo Ioanne Caluino, in *Admonitione de reliquijs sanctorum* demonstratum est. Deinde verò etiamsi quædam certæ apud vos sanctorum corporum essent reliquiæ, ijs tamen non iustum sepulturæ honorem defertis, sed Dei gloriam, insigni idololatria in eas transferendo, contaminatis indignis modis. Siquidem thura religiosè illis adoletis, cereos in earum honorem accenditis, genu flectitis, magna pompa circumfertis & adorandas ostentatis: nec denique prætermittitis quicquam, quod idolis suis ethnici detulerunt. Quare quum reliquias vestras adeò honorandas statuatis, nihil

solidæ pietatis aut frontis vobis reliquum esse apparet vt ex sequentibus magis elucebit.

COSTERVS.

Amb. Ep. 5. Aug. lib. 22. De Ciuit. c. 8.

CATHOLICI è contrario sanctorum miracula & admirantur & venerantur: quippe quæ signa sunt, vel sanctitatis eorum, per quos efficiuntur, (siue viuant illi ad huc in terris, siue beatam cum Christo in cælis vitam degant) vel orthodoxæ fidei & doctrinæ, quam profitentur. Certè Christus Dominus, postea quam plurima *miracula*, ad doctrinam suam in vulgus *probandam* persuadendamque edidisset, sub finem vitæ de Iudæorum pertinacia conquerens, *Si opera*, inquit, *non fecissem in eis quæ nemo alius, peccatum non haberent*: non obscurè significans ad nouam doctrinam inducendam miracula esse necessaria. Et quamuis Catholica fides, tot seculorum decursu per orbem vniuersum confirmata, miraculis non egeat, sed illa potius indigeat, quæ noua hactenus & omnino inaudita, pro vero Dei cultu iactatur; mul-

Ioh. 15. 24.

Chrysost. Hom. 14. in Mattheum Patian. Ep. 3. ad Sympronianum.

multis tamen miraculis, etiam nunc, ad ſacras imagines & diuorum reliquias, illuſtratur Eccleſia, & fidei noſtræ veritas comprobatur: quum hæretici (qui hoc quaſi diplomate diuinæ voluntatis, miſſionem ſuam, in nouo iſto reformandi orbis ſtudio, confirmare deberent) ne minimum quidem ſignum edere potuerunt.

GOMARVS.

QVIS neget ſanctorum miracula in pretio habenda? ſed non omnes ſancti, quos eo nomine inſignitis, nec omnia vera & diuina miracula, quæ à vobis tam prolixè iactantur. Oſtende, ſi potes, talia veſtrorum ſanctorum eſſe miracula (ſi quæ fortè ſpeciem eorum habere poſſunt) qualia ſeruatorem noſtrum edidiſſe conſtat: & pari honore amplectenda agnoſcemus. Verùm ſumma auctorũ, formæ, & finis diuerſitas ſecus omnino demonſtrant. Nam ſi quis feriò & candidè legendas veſtras, quibus Romanæ eccleſiæ miracula recenſetis, perluſtret, & aniles illas fabulas cum ſa-

crarum literarum grauitate & sanctitate contuleris, non magis lucem cum tenebris, quàm illa inter se dissentire, comperiet. Atque eadem est expositionis tuæ & sententiæ Christi, quam adducis concordia. Ait ille quidem.
Ioh.15.24. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit peccatum non haberent:* Sed an inde (vt falsò interpretaris) non obscurè significauit, ad nouam doctrinam inducendam, miracula esse necessaria? An igitur doctrina Christi noua, quam ex Mose probat, & ad sacras literas examinari iubet? *Patienter* ferte fideles Christi serui, quod qui Christi domini nostri doctrinam nouam appellant, vestram similiter, quam ex sacris literis à Christo accepistis, nouitatis accusent. Deinde verò fœdus est error, quòd nouam doctrinam in ecclesia Dei, miraculis confirmari posse, doces, & hac lege miracula ab aduersarijs vestris, quasi diuinæ voluntatis diploma, requiris. Nos contrà si vel mille ad nouam doctrinam stabiliendam prodirent miracula,
Gal.1.8. Pauli, imò spiritus sancti, sen-

tentiam

tentiam opponimus, *Sed etiamsi nos, aut Angelus è cælo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto:* & Christi monitum & præceptum, *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ & edent signa magna & miracula: ita ut seducant (si fieri posit) etiam electos. Ecce prædixi vobis. Itaque si dixerint vobis ecce* (Christus) *in deserto est: ne egredimini; ecce in cõclauibus ne credite.* Verùm de hoc argumento, copiosius in controuersia de Ecclesia disseremus. Matth. 24, 24. 25, 26.

CAPVT XV.

Quamobrem ex harum Antithesium refutatione satis apparet, Pontificios doctores non esse fideles veritatis præcones, sed errorum patronos; ac propterea ab omnibus salutis suæ amãtibus sedulò fugiendos. Quod vt magis fiat perspicuum, alteram Præfationis partem paucis percurramus, quam proponit.

COSTERVS.

DE RATIONE AGENDI CVM HÆRETICIS.

De vtilit. cred. cap. 1.

MAGNVM *est discrimen* (inquit B. Augustinus ad honoratum) *inter Hæreticum & eum qui credit Hæretico. Ille compendij sui & præcipuè gloriæ principatusque gratia, nouas & falsas opiniones, vel gignit, vel sequitur: hic verò eiusmodi hominibus specie quadam veritatis & pietatis assimulatæ deceptus fidem habet*. Hac significatione, *Hæreticum post vnam & secundam correptionē vult vitandū* D. Paulus: *quia subuersus est eiusmodi & proprio iudicio condemnatus*. Veteres quoque Patres omnes communi consensu disputationem, cum proprij nominis hæretico, dissuadebant: quod eiusmodi concertatio (vt dicebat apud Sozomenum Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus) *non solùm schismata non vniret, sed amplius diuideret*. Nam sicut vulpes, nec mansuescit vnquam, nec cibo vtilis est (vt ait B. Ambrosius) ita neque hæreticus, vulpe-

Differentia inter Hæreticum & qui credit hæreticis.

Tit. 3. 10.

Hist. Tripart. lib. 9. cap. 18.

Lib. 7. in Lucam.

vulpeculæ nomine in diuinis literis designatus. Contentiosi enim nimium sunt hæretici (ait B.Cyrillus) & quia peruersi sunt & decreuerunt animo non mutare sententiam, quodcunque etiam contigerit, inquit B.Chrysostomus.

Lib. 2. thesau. cap. 1.

Homilia 6. ad Titum.

GOMARVS.

Etsi pleraque, quæ, de ratione agendi cum hæreticis, adducis, nos minimè attingant; sed communia vtrique parti sint præcepta: ea tamen breuiter ad ecclesiæ institutionem & veritatis diuinæ gloriam excutiemus. Magnum est, fateor, inter hæreticum & eum qui credit hæretico discrimen: sed illud indignissimis modis à Romana ecclesia violatur. Nam primùm hæreseôs crimen, non ad sacras veteris & noui Testamenti tabulas (vt fieri oportebat) sed ad humana pontificum vestrorum placita, examinatis. Vnde veritatis cælestis assertores laudatissimi, qui, ad verbi diuini normam, doctrinam vestram reformare student, infami hæreticorum nomine onerantur à vobis, & sum-

mis ſupplicijs, à veritatis propagatione deturbantur. Deinde non ſolum doctores, qui à doctrina veſtra recedunt; ſed eos etiam qui illis fidem aliquam adhibent, imò verò vel tantillum fauoris demonſtrant, hæreticorum numero accenſetis ac trucidatis. *Nam* (vt ſummus veſter doctor ait) *inquiſitores hæreticæ prauitatis procedunt ex præſumtione, & tenentur punire vel hæreticum eum, qui ex dictis vel factis conuincitur eſſe hæreticus, etiamſi reuera non ſit hæreticus*. Ad quam crudelitatem magis ac magis accendendam, faces à veſtris doctoribus adhibentur. Nam quum hæreſim definiant *errorem pertinacem catholicæ fidei manifieſte contrarium in eo, qui fidem Chriſti profitetur* : & pertinacia temporis moram requirat, vt Pontificij prudentiores agnoſcunt, alij tamen (quod id tyrannidi ſuæ obſtare animaduertunt) turpi contradictione & turpiori improbitate aduerſantur. Nam quũ videant ſæpius infinita imperitorum virorũ, & fæminarum, rudium adoleſcentium, tenellarum virginum, millia, leui hæreſeôs ſuſpicione oborta, nullius erroris

Dominicus Bannes in 2.2 Thomæ qu. 11, art. 2.

Ibidem.

reuera (nedum pertinaciæ) conuicta, ad crucem, ferrum, fossam, flumen, flammam raptari; vt huius iniustitiæ & crudelitatis infamiam leuent, vocum naturam peruertunt, & eos qui scientes à Romanæ Ecclesiæ (quam solam veram ecclesiam agnoscunt) vel tantillum deflectunt, pertinaces vocant. Sic enim (vt alios sileam) Salamanticæ academiæ in Hispania Professor primarius ante paucos annos scripsit, *Deceptus est Syluester* (obserua Pontificiorum doctorum consensum) *in verbo hæresis.* 1.§.2. *vbi ait, necessarium esse temporis diuturnitatem & perseuerantiam aliquam, vt quis dicatur pertinax. Quod falsum est; quia in momento, quo aliquis sciens auctoritatem ecclesiæ sibi contrariam, assentit alicui propositioni, statim pertinax est in suo assensu.* Eódem etiam pertinent, quæ postea subijcit, *si quis dissentit alicui propositioni, siue vera sit, siue falsa, neque pertineat ad fidem, erit tamen hæreticus, si putat oppositum eius, quod ipse sentit, definitum esse ab Ecclesia. Quia tunc habet errorem pertinacem; scilicet non est in vniuersum verum quod definitur ab Ecclesia de fide.*

Dominicus Bannes in 2.2 Thomæ qu. 10. art. 11.

fide. Hoc ſcilicet eſt obſeruare magnum illud inter hæreticum & eum qui credit hæretico diſcrimen! Sed ea iuſta Dei vindicta eſt, vt, Madianitarum inſtar, mutuis gladijs concidatis. Cæterùm quæ, in diſputatione cum hæreticis & ijs qui hæreticis fidem habent, obſeruanda mones, perpendamus.

COSTERVS.

Quatuor ſeruanda cum hæretico.

SI tamen vitari nequeat congreſſus, ne ſine fructu eorum ſaltem qui audiunt, voces *mittantur*, *quatuor* quæ ſequuntur videntur vtiliter obſeruari poſſe. Primùm, vt reſpondentis potius, quàm oppugnantis perſonam, ſuſtineas; eò quòd facilius ſit, argumenta in contrarium allata confutare, quàm ſuperbum & arrogantem aduerſarij animum rationibus conuincere, qui omnes rimas euadendi quærit, ſcripturas torquendo, mutilando, reijciendo. *Quid promouebis* (ait Tertullianus) *experientiſſime ſcripturarum quum ſi quid defenderis negetur: è diuerſo ſi quid negaueris, defendatur: & tu quidem nihil perdes, niſi*

Lib. de præſc.

nisi vocem in contentione, nihil consequeris nisi vilem de blasphemia laudem.

GOMARVS.

REVERA, quemadmodum deplorati hæretici indigni sunt, cum quibus de Religione amplius disputetur: quod, Camarinæ instar, commoti, sordibus suis & blasphemijs (vt Tertullianus obseruauit) Dei gloriam & pios auditores conspurcent: tamen quando periculum subest, ne tenellas Christi oues à veritate, seducant, agendum est fortiter, ijsque ne noceant (vt Apostolus docet) obturanda sunt ora. Qua in re sæpius eorum mendacia oppugnare & expugnare longè facilius est ac tutius, quàm intricatos Sophistarum nodos expedire. Adeò enim plerumque crassi & fædi sunt multorum errores, vt leui momento, etiam à minus in religione exercitatis, queant refutari: contra adeò speciosæ interdum falsorum doctorũ obiectiones, vt etiam exercitatis negotium facessant? Nam quod Hieronymus de Lactantio aduersus gentiles disserente ait, *vtinam tam*

Lib. de præsc.

Tit. 1. 11. 12.

In Epistola ad Paulinum de institut Monachi.

tam nostra confirmare potuisset, quàm facile aliena destruxit: id non immeritò de plurimis alijs, qui cum hæreticis disceptarunt, vsurpari potest. Quamobrem tutissima & optima cum hæreticis disserendi via est, vt ex Pauli præcepto,
Ephes.6.16. 17.
non solùm scuto fidei nos muniamus, sed etiam gladio spiritus, hoc est, Dei verbo aduersarios iugulemus. Cui
Hier.in Esa. cap.13.
egregia illa Hieronymi sententia consentit, *Filios hæreticorum & omnium qui decepti sunt, interficiamus sagittis spiritualibus*, id est, *Testimonijs Scripturarum.* Deinde vt errores inter se deuincti & concatenati sunt, superbus & arrogans aduersarius ad absurda illa, quæ ex hæresi ipsius oriuntur, adigendus est; & tumultuari desinet: aut, si fronte amissa, non cedat, auditores saltem, ab eo abhorrentes, in veritate magis firmabuntur. Quam conuincendi præfractum aduersarium rationem, nó solum
1.Cor.15. 14.&c. Gal.2.21. Arist. top. 8.&c.
Apostoli secuti sunt, sed etiam ex communi naturæ iudicio Ethnicorum sapientes præscripserunt. Quare vt minus peritum lectorem, ad Pontificiorum hæreses superandas, instituam; nihil

hil ad eam rem pręstantius est, quàm vt earum absurditas, & quàm graues errores inde necessariò consequantur, aduersarij naribus & auditorum auribus ingeratur. Nam quod contra priscos hæreticos disputans ait Irenæus, *Aduersus eos victoria est sententiæ eorum manifestatio: quapropter conati sumus vniuersum malè compositum vulpeculæ huius corpusculum, in medium producere & apertè facere manifestum: iam enim non multis opus erit sermonibus ad euertendam doctrinam eorum, manifestam omnibus factam*: id inquam, de Romanæ Ecclesiæ doctoribus & religione meritò affirmari potest. Nam vt perspicuè conuincantur, demonstretur, quàm indignè sacrarum literarum auctoritatem humanis traditionibus componant, imò postponant: & summa illarum capita, legem Dei & Euangelium violent. Ac primum quàm turpiter *primũ & secundum* legis diuinæ *præceptum* idololatria sua plusquam Ethnica infringant, & Dei honorem, ad creaturas rapiant ac traducant: quam horrendis incantationibus salem, aquam, viunm, herbas, alia-

Lib. 2. ca. 12.

Coster. Enchirid. de S. Script.

Vide Sup e. r. Pastorale. &, De fuga Dæmonum.

quæ

que magiæ Pontificiæ instrumenta, contra *tertium Dei præceptum*, indigna nominis Dei profanatione exorcizent, & tanquam salutis subsidia commendent. Quàm multos in ordinem sanctorum retulerint & adorent, qui aut *nunquam, aut impij extiterunt: quam multa ijs † festa, templa, altaria consecrarint: quàm varios religionum modos, & diuersos Ecclesiæ ministrorum ordines, præter Dei verbum ‡ Ethnicorum exemplo instituerunt, & fœdissimis, vt vocant, * Taxis & Annatibus diuendant. Quibus omnibus modis *quartum Dei præceptum* violatur. Decla-retur etiam, quàm indignè magistratus, patriæ patres, à Pontificibus, non solùm debito honore, contra *quintum præceptum*, fraudentur, sed etiam ad † pedum oscula & nonnunquam ad ‡ conculcationem detrudantur: exponatur quanta immanitate ad infideles, quod regnis suis cedere nolint, euertendos, classicum canant & bellum quod nullo diuino aut humano iure sacrum appellant, pro arbitrio, cum infinita Christianorum pernicie, accendant: addatur quàm

* Baronius martyrolog. Roman.
† Durandus Ration diuin. officior.
‡ Ibidē lib. 2. cap. 1.
* Taxæ sacræ pœnit. apostolicæ & Taxæ cancellar. apostolicæ.
† Sacrar. ceremon. sect. 13.
‡ Supplem. Supplem. Chronic. lib. 12. p. 299.

quàm crudeliter à doctrina Pontificia vel leuiter diſſidentium ſanguinem, contra *ſextum* Dei *præceptum*, Inquiſitorum tyrannide effundendum, ſermone & reipſa doceant. Explicetur quàm turpiter omnium ſacerdotum & monachorum (licet plerique continentiæ deſtituantur dono) cælibatum non ſolùm matrimonio præferant, ſed etiam ſcortationem eorum matrimonio meliorem, contra *ſeptimum* Dei *præceptum*, affirment. Indicetur quàm iniuſtè Pontificij monachi & ſacerdotes contra *octauum præceptum*, non ſolùm non dent Cæſari quæ Cæſaris ſunt: Sed etiam è contrario illius & reguni aliorum regna, pro ſumma poteſtate arbitrioque Pontificis, dari, minui, & auferri poſſe ſtatuant. quemadmodum reuera ſæpius iuſtis dominis Pontificum ſententia erepta & iniuſtis tradita eſſe, Germaniæ, Galliæ, Nauarræ, Indiarum, Iudææ & aliorum regnorum exempla & Pontificiorum hiſtoriæ luculenter euincunt. Aperiatur non ſolùm quàm perfidè, fidem datam, cum ipſis vtile eſt, violent; ſed etiam,

Dominicus Bannes in 2.2 Thomæ qu. 11. art. 2.

Bellarminus lib. 2. De monachis. ca. 34.

Matth. 22. 21.

Extrauag. cōmun. lib. 1. de Maioritat. & obed. cap. 1. vnam Sanctam.

Domin. Bannes in 2. 2. Thomæ qu. 10. art. 10.

quàm impudenter fidem hæreticis non seruandam, contra *nonum* Dei *præceptum*, concilij Constantiensis auctoritate, definiant. Denique monstretur, quàm profanè concupiscentiam, contra *decimum præceptum*, & Apostoli definitionem, concilio Tridentino, peccatum esse negent, & secus sentientes anathemate feriant. Ex quibus apparet quum Deus præceperit vt legis ipsius præcepta omnia accuratè obseruentur, & maledictionem ijs sit interminatus, qui non permanserint in omnibus, Pontificem & Pontificios doctores id studuisse, vt nullum eorum *inuiolatum* permitterent. Si verò à lege Dei, decalogo comprehensa, ad Euangelium (cuius summa duodecim articulis fidei & sacramentorum institutione continetur) deuenire lubeat; in singulis ferè Pontificiæ doctrinæ absurditas & copiosa refutationis materia elucebit. Ac primum obijciatur aduersarijs, quòd contra *primum* fidei *articulum* non in solum Deum credant, nec eum solùm omnipotentem agnoscant: sed etiam Mariæ virgini & sanctis, quos inuocant

Sess. 19.

Sess. 5.

Deut. 27.

Psalterium B. Mariæ.

uocant, geminam hanc & propriam Dei gloriam communicent. Ostendatur deinde, eos nomine quidem filium Dei esse Iesum, id est, seruatorem & dominum nostrum cõfiteri; sed reipsa, vtrumque honorem, soli Christo conuenientem, contra *secundum* fidei *articulum*, virgini Mariæ & sanctis arrogare. Quorum duorum articulorum profana violatio, non solum ex ijs quæ capite primo à nobis allata sunt, constat; sed etiam profana illa Florida Mariana Martini del Rio Iesuitæ (quæ anno superiore, ex officina Plantiniana, cum Episcopi Leodiensis approbatione, prodierunt) perspicuè demonstrant. Nam vt Costerus suum Enchiridion, sic Martinus opus illud virgini Mariæ, blasphemo hoc Elogio, consecrauit. *D. Mariæ S. Dei Genitrici, semper virgini, misericordiæ matri, cælorum, terræ, maris, reginæ, catholicæ ecclesiæ protectatrici, hæresium expugnatrici, virtutum cunctarum speculo, Optimæ, Maximæ, Patronæ hoc de corollis multicoloribus sertum, pancarpum, vouit, panxit soluit, seruulus Martinus del rius ætatis* XLV *& salutis humanæ* M.D.IVC. Rom. 10. 14. Esa. 42. 8.

Præterea adijciatur contra *tertium* de sancta Christi conceptione *articulum*, non solùm Pontificios Mariæ virgini conceptionis sanctitatem attribuere: sed eam quoque multò maiori sacrilegio, à Romana ecclesia peculiari festo obsignatam: & quidem, quod magis absurdum est, quum de ea re, nondum quicquã certi à Pontificie aut à Pontificiorum doctoribus esset definitum, sed & antè & postea acerrimè de hac quæstione concertarint. Declaretur quàm absurdè Pontificij doctores, cõtrà *quartum* fidei *articulum* & sacrarum literarum definitionem Christi *Passionem* adeò mutilent, vt eam corpori quidem & sensibus tribuant, sed *anima rationali quicquam perpessum esse in horto, aut in cruce, apertè negent. Scilicet vt crassiorem errorem tueantur, † Christum inde à cõceptione futuram animæ suæ in vita æterna gloriam, non sperasse, sed eadem perpetuo sibi præsenti, fuisse beatum. Ita vt in cruce quidem summos corpore & sensibus sustinuerit cruciatus; ‡ anima verò rationali, non solùm eorũ fuerit expers, sed

Extrauag. cõmun. lib. 3. de reliquijs & veneratione Sanctor. ca. 2.

Ibidem.

* Thomas Aquinas par. 3. qu. 46. art. 7. & 8. Thomas ab Argentina in 3. Sent. 15. dist. 3. art. & alij vulgò.

† Thomas Aqu. par. 3. qu. 7. art. 4. Melchior Canus loc. commun. lib. 12. cap. 14.

‡ Thomas Aquin. part. 3. qu. 46. art. 8. Thomas ab Argentina. Sent. 3. dist. 15. art. 3.

ſed etiam ſummo, ex vitæ æternæ fruitione, gaudio; fuerit plenus. Quibus abſurdis & profanis ſententijs addatur Pontificios doctores, aduerſus *quintum articulum*, infernum conuertere in Paradiſum. Quemadmodum Coſterus in expoſitione ſymboli de Chriſti deſcenſu ad inferna ait; *Sic inferni loca perluſtrauit, vt tenebroſum carcerem, in Paradiſum verterit, iuxta illud quod latroni dixerat, Hodie mecũ eris in Paradiſo.* Demonſtretur eorundem, aduerſus *ſextum articulum* & ſacrarum literarum auctoritatem, error, quod Chriſtus per paſſionem non intrarit aſcenſione ſua in gloriam, ratione corporis & animæ, ſed corpore tantùm: videlicet quod (vt aiunt) animæ ab initio perfectè beatæ, nihil accedere potuerit maioris gloriæ. Indicetur eos aduerſus *ſeptimum articulum*, Chriſti & Apoſtolorum definitionem, Chriſti corpus non expectare primum ad diem iudicij, vt præſentia illius potiantur: ſed contra ſtatuere, id è cælo indies deſcendere & ſe ſacrificulis ſiſtere, in miſſa præſens. Oſtendatur præterea eos, aduerſus *nonum* fidei *articulum*,

Chriſt. Inſtit. lib. 5.

Iſa. 53.

Thomas Aquin. par. 3. qu. 34. art. 4.

Actor. 4. 12. 1. Cor. 11. 26.

Sanctus Franciſcus Cnofor. lib. 1. pag. 177.

culum, ecclesiam sanctam catholicam cum particulari & impura sua Romana ecclesia confundere: adeò vt vulgò Romanam & catholicam ecclesiam pro eadem absurdissimè vsurpent. Adiungatur error grauissimus, quod aduersus *nonum* & *decimum articulum* statuant sanctos (qui tamen omnes nobiscum communiter, in hac vita debitores extiterunt & remissionis peccatorum vitæque æternæ communionem cum reliquis fidelibus habent) non solùm habere sua apud *Deum merita*, sed ijs etiam *remissionem peccatorum* alijs promereri: dum *viuunt* quidem animis in purgatorio afflictis, post mortem verò reliquis etiam fidelibus in terra constitutis. Denique (vt alia quę fusius initiò huius operis proposui, omittam) demonstretur Pontificios doctores contra *duodecimum articulum* & reliquos omnes, loco * fidei veræ qua vitam æternam, propter Christum gratis promissam, vera fiducia amplectuntur fideles, † dubitationem substituere, & quod ‡ Scriptura donum Dei esse testatur, operum suorum meritum

Math.6.12. Rom.3.23. 24.

Coster Christ. Inst.lib.5. Exposit.Symboli.

Cap.1.

*Iohan.10, 27,28. Rom.8.38. 1.Ioh.3.2.& 5,10,11,12. 13.

† Concil.Trident.Sess.6. cap.11. & Can.12.13.

‡ Rom.6.23.

tum, indignissimè appellare. Nec in fidei solùm articulis violandis Pontificiæ doctrinæ absurditas consistit, sed etiam in sacramentorum institutione cumprimis apparet. Nam vt à Baptismo fiat exordium, ostendatur primum Pontificios doctores, *contra Baptismi materiam* docere si aqua elementaris desit, illius loco, * non aquis distillatis sed iure carnium vti licere: imò, quosdam doctores eò impudentiæ procedere, vt etiam † *vrina, propter defectum aquæ, baptizari posse* affirment. Deinde ‡ celebres nonnullos Pontificiorum doctores (*contra* præscriptam * à Deo *verborum formulam*, Dei honorem & Apostoli decretum) apertè tradere Baptismum esse posse si quis dicat, *Baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti & beatæ virginis Mariæ.* Præterea obijciatur, eos de *ministris Baptismi* non minus absurdè sentire, quod contra † Christi & antiquorum ‡ Patrum doctrinam, Baptismum, si sacerdotes desint, à * fæminis fidelibus aut infidelibus administrari posse, doceant. His addatur, quod statuant † infantes in

* Thomas Aquin. par. 3. qu. 66. art. 4. Holcot. in sent. lib. 4. qu. 1. Guido in manip. curat. de Baptis. cap. 2.
† Guido ibidem.
‡ Idem ca. 3. Holcot in Sent. 4 qu. 1.
* Matth. 28, 19, 20. 1. Cor. 1. 13.

† Matth. 28. 19. 20. 1. Cor. 14. 34. 1. Tim. 2. 12.
‡ Tertul. de Virg. Velandis. Ephiph. côtra Collyr. hæres. 79.
* Pastorale de Baptismo. Guido manip. curat. de Baptis. cap. 3.
† Pastorale de Baptismo.

vtero matris adhuc latentes, in vitæ periculo, si caput tantùm pes, aut manus extet, debere baptizari. Præterea de *ceremonijs Baptismi* non minora obijci possunt absurda, vt quod Pontificij sacerdotes, præter Christi institutionem, ritibus varijs, partim insulsis, partim fœdis, partim impijs Baptismum conspurcent: * vt quum digitos suos infantū auribus immittunt & † Christi in miraculo patrando sermone abutantur, quum saliuam suam ori infantis indunt, crucibus superstitiosè signant: dæmonem, vt de anima baptizandi recedat, adiurant: iterum cruce è sputo (ne quid purum relinquatur) aures, nares, os infantis notant: salem magicè exorcizant, & infantis ori imponunt: oleo exorcizato crucem in pectore & scapulis baptizandi, formant: vestem albam capiti imponunt: adduntque cereum accensum, coniuncta in singulis hisce, mira verborum Dei profanatione. Denique quod contra Christi honorem & Apostoli decretum *nomen sancti* alicuius imponunt, vt eo patrono Baptizatus omnes animæ

* Ibidem & Guido manip. de Baptismo. ca. 8.
† Mar. 7. 34.
1. Cor. 1. 12. 13.
Pastorale de Baptis.

animæ & corporis molestias superet. Nec minor in altero sacramento seruata est reuerentia. Nam vt ora aduersarijs obturentur, demonstretur primùm eos *sacramenti Cœnæ naturam* peruertere; quòd signa diuinitùs instituta non solùm mutent, quum vinum, aquæ admixtione* superstitiose adulterant; sed etiam mutilent, quum † contra Dei institutum & veterum Patrum ac ‡ Pontificum decretum, laicis calicem denegant. imò quòd sacrificuli (vt omnibus perspicuè constat) contra sacramenti huius communionem & naturam, loco vnius Cœnæ Dominicæ, sex, septem, decem & plures priuatas missas (in quibus singulis vnus auditor nempe * minister, qui totius populi personam sustineat sit satis) vno in templo, & quidem † contra Dei verbum ‡ ignota auditoribus lingua, concelebrent: & (quòd absurdius) ipsi plerumque panem in tres partes fractum, reliquis non communicantibus sed tantum spectantibus,* soli, contra † Pontificum canones antiquos, absumant: adeò vt reuera, non tam synaxis & communio

* De Consecrat. dist 2. Can. 1. in lacram.
† Cócil. Trid. Sess. 21. ca. 2.
‡ De Consecrat. dist. 2. Can. Comperimus.
* Tomas Aquin par. 3. qu. 83. art. 5.
† 1. Cor. 14. 16, 28.
‡ Cócil. Trid. Sess. 22. Can 9.
*Ibidem Can. 8.
† De Consecrat. dist. 1. Can. Omnes

‡ Thomas Aquin. par. 3. qu. 73. art. 4.
* Matt. 26. 26. Luc. 22. 19.
† Heb. 2. 17. Luc 24. 39.
‡ 1. Cor. 10, 16. & 11, 26, 27, 28.
* Concil Trid. Sess. 13. cap. 4.
† Thomas Aquin par. 3. qu. 77. art. 1. &c.
‡ August. de Trinit. lib. 3. cap. 10.
* Innoc. Papa de sacro altar. myster. lib. 4. cap. 11.
† Par. 3. qu. 75. art. 8.
‡ Col. 3. 1.
* Cõcil. Trid. Sess. 13. ca. 4.
† Heb. 2. 17. Luc. 24. 39. Ioh. 12. 8.
‡ Col. 3. 1.
* 1. Cor. 11, 25, 26.
† Augustin. Epist. 57. ad Dard. & in Ioh. 12. Tractatu 50.

‡ (vt vocant) quam excommunicatio & ecclesiæ distractio dici mereatur. Obijciatur etiam, quòd panem in corpus Christi, cõtra * institutionem illius, † corporis veritatem, ‡ Apostolorum doctrinam & communem sensum, * transsubstantiari statuant: ita vt sublata panis substantia, accidentia tantùm, nõ solùm sine suo, sed etiam † sine vllo omninò subiecto, contra naturam supersint. Qua ratione ex signo sacramentali ecclesiæ ordinario, contra rei proprietatem, & ‡ Patrum doctrinam, * miraculum faciunt omnium *maximum*: adeò vt in eo plura sint *difficilia*, quam in creatione, quemadmodum Pontificiorũ sanctus, † Thomas Aquinas, ex communi Romanæ ecclesiæ consensu, docet. Addatur hisce quod Christi corpus gloriosum (quod in cælis regnat, ‡ nec alibi quærendum), infinitis ferè in locis, in hostijs, & * singulis earum particulis, eodem tempore, in terra simul existere contra † veri corporis modum, ‡ gloriæ rationem, * Cœnæ institutionem & † Patrum consensum affirment. Deinde quod sacra-

mentum

mentum ‡Eucharisticũ, ad recordationem benificij Christi & nostræ gratitudinis officium excitandum, institutum, *in sacrificium proprium & propitiatoriũ ac satisfactoriũ peruertant. Et quod absurdius est, non solùm in Dei, sed etiam in † sanctorũ variorum honorem variè celebrent. Coniungatur quod in eius vsu, non sibi solum manducantibus ‡sed alijs etiam tam mortuis, quàm viuis remissionem peccatorum & varia corporalia beneficia, & quidem non fidei, sed operis (vt loquuntur) operantis dignitate, promereri sese affirment. Vnde pro diuersis necessitatibus precio venalem missam celebrent: vt verè Simonis magi potius, quàm Simonis Petri successores sese probent. Atque hinc trita illa Pontificiorum sanctorum & doctorum quæstio, * *Vtrum sacerdos accepto stipendio obligatus ad missam specialiter, pro vno celebrandam: postea alteri quoque pretio missam addixerit, vna & eadem opera vtrique possit satisfacere?* Obiectetur etiam, quòd hostiam † corpus Christi & Deum suum apellantes, adorent & adorandam alijs attollant ac circumferant:

‡ 1. Cor. 10. 16. & 11. 25.

* Cõcil. Trid. Sess. 22. cap. 2. & Can. 1.

† Ibidem cap. 3. & Can. 5.

‡ Ibidem cap. 2. & 3.

Actor. 8. 20. 21.

* Institut. Vigueri. ca. 16. §. 3. ver. 15. Gabriel Biel in Canon. missæ lect. 27. Holcot in sentent. lib. 4. qu. 3.

† Cõcil. Trid. Sess. 13. cap. 5. Costerus præfat. Enchirid. antithesi 11.

rant: & in cōclauibus, reponant ac dicát *Ecce Christus*. Quæ omnia cùm † Christi institutione atque * interdicto, & * veterum Patrum doctrina, grauissimè pugnant. Addatur etiam profana illa Pontificiorum sententia, qua aiunt, † *Si hostia tempore mortis Christi fuisset in pyxide seruata, Christum non solùm mortem subiturum in cruce, sed etiam in pyxide.* Denique (vt multas alias Pontificiorum doctorum de hoc sacramento absurdas impietates, quas referre possem, breuitatis causa omittam) obijciatur ijs, quòd, turpissima contradictione, doceant, * Christum in cæna suum ipsius corpus manu sua gestasse, & ore suo comedisse, & alijs similiter, tam impijs hypocritis, quàm verè fidelibus, sub specie panis ita comedendum, * dentibus frangendum & atterendum tradidisse: & nequid impietatis desit, † Christi corpus & Deum verum, vt à muribus alijsque brutis animantibus posse deglutiri, sic ab ebriosis & alijs euomi & ignibus traditum cælestes sedes petere. Adeò vt non sit mirandum * Auerroem Arabem summum philosophum

† Luc. 22.19.
* Matth. 24. 26.
* August de doctr. Christ. lib. 3. cap. 5. Cyril. in leuit. lib. 5. Hieron. in 1. Cor. 1.
† Thomas Aquin. par. 3. qu. 81. art. 3.
* Thomas ibidem art. 1.
* De cōsecrat. dist. 2. Can. Ego Bereng. Guitmūdus de Sacram. lib. 1. p. 35. & 41.
† Thomas par. 3. qu. 83. art. 6. Et in Sent. lib. 4. distinct. 13. Biel in 4. Sententent. dist. 12. qu. 1. art. 3. Guido manip. Curat. de Eucharistia cap. 11.
* Comment. in lib. 12. metaphys. Arist.

ſophum abſurdis & cyclopicis ac Canibalicis illis Capernaitarum, Pontificiorum doctorum, impietatibus offenſum, dixiſſe; *Quoniam Chriſtiani manducant Deum, quem adorant, ſit anima mea cum Philoſophis.* Nos verò rectius, Quoniam Pontificij hoc faciunt, ſit anima noſtra cum Apoſtolis & pijs Chriſti diſcipulis. Reliqua Pontificiorū ſacramenta, quæ ab hominibus præter Dei verbum inſtituta ſunt & pluribus abſurditatibus grauiſſiimis ſcatent, ne prolixior ſim, prętereo. Quare vt rem totam concludam, optima illa eſt cum Pontificijs & alijs falſis doctoribus differendi & conuincendi ratio, vt primùm errores eorum & ſtatum quæſtionis rectè intelligamus ac fideliter proponamus, ſacrarum literarum gladio iugulemus, & abſurditatibus propoſitis, contra dicentium ora obturemus. Præſertim verò, vt quæſtio de ſacrarum literarum auctoritate, aduersùs humanas traditiones (ad quas perpetuò Pontificij recurrunt) expediatur priori loco. Ac propterea, Coſtere, hanc ipſam in Enchiridij tui examine viam ſequar, vt veritas.

pate-

patefactis & discussis erroribus vestris, illustretur. Sed, prius quàm finem præfationi imponam, reliqua perpendamus.

COSTERVS.

Secundum. DEINDE danda est opera, vt intra limites vnius materiæ aduersarius contineatur. Est enim hæreticis, præsertim rudioribus, qui sibi tamen non parum sapere videntur, familiare, vt, quum dissolutis argumentis, in vna aliqua causa se conuictos animaduertũt, aliò dilabantur & rerum diuersarum multitudine antagonistas suos obtundant, ne si nihil in medium afferant, manus dare vincique videantur.

Tertium. Est præterea ad rectam argumentandi formam astringendus hæreticus, vtque omissis superfluis nudam ratiocinationem proponat: qua in re non parum laboratur ab aduersarijs, qui vel Dialecticæ ignari, in argumentando grauiter halucinantur, vel sophistarum more ratiocinationes suas oratorijs pigmentis, quasi fuco quodam colorando, falsa pro veris, dubiaque pro cer-

tis

tis, indoctis auditoribus venditant.

GOMARVS.

SANE si hæc præcepta, quæ à nostris tam diligenter vrgentur, apud vos vigerent, facilius veritati cederetis. Nam quid magis vobis familiare est, quàm statum quæstionis propositæ aut vitare & subterfugere, aut vitiare? quæ maximè in controuersia versantur argumenti loco assumere ac centies inculcare? quum vos argumentis & scripturę robore pressos animaduertitis, ad traditionum latebras confugere? & ne causa cadere videremini, Patrum rectè dicta eò peruertere, aut næuos eorum, relictis sanioribus sententijs, accumulare? Tertij par ratio est: nam quàm turpiter sæpe, contra rectam differendi disciplinam, principia aliena ad res cælestes indignè traducitis: aut communia & perpetua naturæ & scripturæ fundamenta, quum lubet, pernegatis? Legantur scholastici vestri doctores, & qui eorum vestigia nostris temporibus insequuntur, videantur vel ea solùm, quæ de missa à vestris differuntur, nihil

verius

verius comperies. Ad formam verò argumentandi quod attinet, eam quidem in otiosis scholarum vestrarum vmbris, in vsu esse qualemcunque non nego: sed eandem in publica luce & iusto cum aduersarijs vestris certamine aut nunquam, aut rarò, adhibetis. Atque vtinam id à vobis impetrari aliquando posset, vt recta argumentandi forma causam vestram nobiscum disceptaretis! sperarem enim fore, vt quam longis ambagibus obscuratis veritatem, ea stricto *illo* & aperto disserendi modo illustrata, faciliorem *nobis* victoriam largiretur. Atque *hoc* consilio D.D. Antonius Sadeel, Guilielmeus Witakerus, Christophorus Pezelius, Sybrandus Lubberti alijque complures viri doctissimi scholasticam illam & pressam disputandi rationem secuti sunt, vt vestros errores eò distinctius & clarius confutarent. Itaque in hisce præceptis nihil est quòd in nobis desideres. De quarto verò quid proponas audiamus.

COSTERVS.

AD extremum conuitia, maledicta, cognomina, quibus nomen nostrorum vrgere solent, surda velut aure sunt prætereuehenda. Nam sicut qui malum causam coram iudice tuetur, quum rationibus & æquitate deficitur, clamoribus instat: ita hæreticus, quum veris ac solidis argumentis se vincere posse desperat, contumelijs certat, vt rem à legitima disputatione ad cõtentionem detorqueat. Tu verò dissimulatis omnibus verborum portentis, quasi cum homine phrenetico ac furioso negotium habeas, in solam miseri hominis salutem & conuersionem animum intendas. Cogita non hominem, sed spiritũ erroris, sed ipsum dæmonem, per os hominis ista maledicta euomere. Quare misereat te potius eius, verbis vtere aduersus eum humanis & beneuolis, tacitusque subinde Deum pro anima Dæmonis laqueis & æternorũ suppliciorum periculis irretita precare. Quod si apud ipsum nihil proficies, saltẽ auditoribus infectis Quartum.

N scrupu-

scrupulum aliquem ac dubitationem inijcies. Sumus enim ita comparati, vt moueamur modestia, indignemur petulantia.

GOMARVS.

SVMVS reuera *ita comparati*, Costere, *vt moueamur modestia, indignemur petulantia:* sed nec iustã orbis Christiani indignationem, nec veritatis dignitatem, nec præsentis Dei maiestatem reueritus esse videris, quum ea, quæ optimè de Christiana modestia hoc loco definis, summa immodestia *superis* tuis libellis pessimè violasti. *Nec enim* solum Martini Lutheri, Philippi Melanchthonis, Caluini, Bezę aliorumque plurimorum fidelium & præstantium Christi seruorũ famam falsissimis maledictis in odium adducere studuisti, sed etiam nostrates D. Tilium, Greuenchouium, Bogardum, aliosque viros innocentissimos atque optimos ita putidis & crassis, contra publicam populi conscientiam, mendacijs proscindere voluisti, vt facile inde appareat, te quum rationibus & causæ boni-

tate

tate destituaris, de vestra doctrina desperantem ad contumeliam & mendacia prorumpere. Itaque non solùm nos consolatur Christi sententia, *Beati eritis quum conuitiati fuerint vobis, & persequuti fuerint, & dixerint quiduis mali, aduersus vos, mentientes propter me:* sed magno nobis etiam gaudio est, quod vel tuo indicio ex hac maledicendi improbitate rem vestram ad triarios redijsse, & exitio proximam, videamus. Si quid verò à nobis aduersus vestrorũ hominum mores grauius dicatur, non illud maledicendi, sed arrogantiæ vestræ reprimendæ studio contingit: nec de paucis doctoribus, aut eorum qui ad mentem redierunt, peccatis sermo est: sed de plerisque Pontificibus, Cardinalibus, episcopis, sacerdotibus, monachis: quorum effrænem & minimè Christianam viuendi licẽtiã, nõ ex nostrorum hominũ, aut aliorum, qui vobis aduersantur, scriptis, aut rumoribus carpimus, sed ex consignatis veterũ & recentiũ pontificiorũ Regum, Principum, & theologorum fide digniorum querelis, accusamus. Adeò vt non iniquæ con-

Math. 5. 11. 12.

tumeliæ sed iustæ reprehensionis nomen mereatur. Nouimus enim ex
Exod. 20.16. Dei verbo edocti, non solum fidelibus
Ioh. 8.45. sed etiam infidelibus & hæreticis fi-
Sess. 19. dem (contra Concilij vestri Constantiensis decretum) omnibus modis seruandam: nec pias eas putamus fraudes, quibus ad causæ veritatem demonstrandam, mendacijs aduersarij onerantur. Nouimus etiam ecclesiam
Math. 13.38. Dei agro comparari, in quo non solùm bonum semen, sed etiam zizania succrescant;
Ibidem. 48. & sagenæ in quam non solùm boni colligantur pisces, sed etiam *mali*. Agnoscimus in familia, communis fi-
Gal. 4.29.30. delium patris Abrahami, non modo fuisse Isaacum probum, sed etiam
Heb. 12.16. Ismaëlem reprobum; in Isaaci domo, non tantùm Iacobum pium, sed etiam Esauum impium: in Iacobi liberis, non solùm Iosephi & Beniaminis
Gen. 49.4.5. & 50 17. probitatem, sed etiam reliquorú alioqui piorum Patriarcharum peccata, non exigua, quorum eos tandem seriò
1. Sam. 13.14 pœnituit: in Dauide, viro secundùm
2. Sam. 12.9. cor Dei, non solùm innocentiam penè perpetuá, sed etiam lapsus aliquos grauiores,

uiores, adulterium, & homicidium: in filijs verò longè maiora offendicula ex ſ. literis cognoſcimus. Denique inter duodecim Chriſti Apoſtolos non ſolum Iudam furem, proditorem, filium perditionis extitiſſe, ſed etiam inter pios Apoſtolos Petri abnegationem & reſipiſcentiá legimus. Quemadmodum & inter diaconos ſeptem, ab Apoſtolis electos, non ſolùm, Stephanum, Philippum & reliquos ſanctos, ſed etiam Nicolaum, poſtea ſectæ Nicolaitarum auctorem fuiſſe, ex veterum teſtimonio didicimus. Quamobrem non propterea à Romana Eccleſia abhorremus, quod multi inter vos extent Epiſcopi, ſacerdotes, monachi, ſceleribus cooperti (quemadmodum nec à Chriſtiana eccleſia noſtra deflectimus, quòd interdum contra doctrinæ noſtræ ſanctitatem, aut latentium hypocritarum improbitas, aut quorundam piorum Dei ſeruorum lapſus aliqui, appareant) ſed eo nomine Romanam Eccleſiam iuſtè accuſamus, quod doctrina ſit impura, & pares, ex doctrinæ & gubernationis vitio, maxi-

Ioh. 6.70. & 12.6. & 17.12.

Matth. 26.75.

Actor 6.5. Apo. 2.15.

mæ partis ecclesiasticorum, vt supra ostensum est, mores.

CAPVT XVI.

Atque hæc quidem de modo agendi cum hæreticis, reliquũ est vt quemadmodum credentes hæreticis tractandi sint perquiramus.

COSTERVS.

HACTENVS de ijs quos proprie & verè hæreticos appellamus: superest dicamus, quemadmodum credentes hereticis, *hoc est*, qui vel ad hæreticos defecerunt, vel in fide nutant, tractandi videantur: inter quos maiori studio videntur illi iuuandi, in quibus maior conuersionis spes apparet. Ad quam rem præter rationes, quibus hoc libello singuli articuli controuersi confirmantur, tria ista communia puncta poterunt esse adiumento, vt primo perconteris ab eo, quî cum agis, quas ob causas ab ecclesia recesserit, ac totius orbis Christiani societatem & communionem deseruerit, maioresque suos atque adeò omnes omnium

Tria opponenda credenti hæreticis.

Primum.

omnium nationum, omnium seculorum, omnis memoriæ homines, qui Catholicè decesserunt, sceleris ac nefariæ infidelitatis mortuos tam seuerè condemnauerit? Quia si rectè credit hæreticus omnes isti perierint. Tum deinde, qua ratione, quaue auctoritate commotus huius potius quàm illius hæretici sectam sequatur: quum non minus Caluiniste, Anabaptistæ, Swenckfeldiani atque Lutherani, sua dogmata sacrarum literarum testimonijs, confirment; cur horum potius quam illorum vocem interpretationemque audiat? Si dicat horum, vel istorum videri sibi magis veritati & rationi consentaneam: fateri cogitur, illud suũ VIDERI esse regulam fidei. Vnde concludes illum hęreticum esse, hoc est, electorem, qui sibi ex multis quod credat suo ipse arbitrio & voluntate deligit. Secundum.

GOMARVS.

De hisce punctis tuis, non est cur multùm laboremus, Nam vt frequens, imò perpetua quæstio est, quam aduersarijs vestris occinere soletis (&

aduersus hæreticos valere potest) nimirum, quas ob causas ab Ecclesia recesserint, ac totius orbis societatem ac communionem deseruerint? ita facilis & expedita nostris fratribus est responsio, vos id frustra Romanæ ecclesiæ arrogare & nobis derogare, quod probare non valetis. Antiquitatem iactatis? hac parte ne latum quidem vnguem Prophetarum & Apostolorum auctoritate freti cedimus. Patres obtendis? quàm parum vos iuuent, immò quàm acriter errores vestros refellant, & antea sæpius ostendi, & in operis huius progressu pleniùs ac planiùs demonstrabo. De condemnatione verò quod mones, quibus quæso rectiùs, si ex rei veritate & animi sedati sensu, iudicare velis, competet, quàm vobis: qui plurimas pias orthodoxorum sententias conciliorum vestrorũ decretis damnatis, & ita sentientes anathemate feritis? Exemplis illud hoc loco probare possem quàm plurimis, nisi ex ijs, quæ superioribus à nobis explicata sunt & deinceps exponentur, apertè constaret. Quod verò secundò querendum consulis,

fulis, qua ratione aut auctoritate aduersarius vester commotus, huius potius quam illius sententiam sequatur: in promtu nostris est huius facilioris nodi solutio, nō id à se fieri, quod ea sibi magis veritati videantur cōsentanea (vt falsò affingis) sed quod sacrarum literarum auctoritate eò impellantur. Quærat igitur aliquis vestrum à nostris fratribus quamobrem Arianorum, Pontificiorum, Anabaptistarum, doctrinam auersentur? respondebunt illi, eò sese pertrahi, quòd Dei verbo & orthodoxæ antiquitati repugnantes comperiant. Sciscitetur iterum Pontificius quamobrem, quū in plerisque religionis capitibus ipsoque fidei fundamēto, cum magno illo Dei seruo Martino Luthero sentiamus, in doctrina de Cæna Domini & præsentia corporis Christi ab eodem diffideamus? respondebunt nostri, quòd hàc parte veteris fermenti Pontificij in Luthero reliquias deploremus, easque ex Dei verbo sacramentorum & Corporis Christi naturis, & articulis fidei, repurgare coacti simus: ac quamuis magni facia-

mus insignem Dei seruum Lutherum, pluris tamen, vt par est, veritatem æstimemus. Quamobrem hac parte expediti, postremum tuum punctum audiamus.

COSTERVS.

Tertium. DENIQVE vrgebis illum, vt vel vnicum hominum ex omni antiquitatis memoria producat, qui antequam Lutherus nasceretur, secum in omnibus senserit. Neminem proferre poterit, neminem nominare, ne ex hæreticorum quidem albo, quorũ quisquẽ diuersam, quam sibi ipse finxit religionem coluit, & persecutus fuit. Age igitur, amice, est ne æquum, vt repudiata totius orbis disciplina, doctrinam vel hactenus inauditam vel olim totius antiquitatis cõsensu explosam atque eiectam, complectaris, hac sola ratione motus, quia isti nescio qui obscuri homines, præclarè tibi videantur diuina oracula & mysteria interpretari! Ergo tot fortissimos inuictissimosque viros ac mulieres, qui sanguine suo ecclesiam rigauerunt, tot ingeniosissimos homines,

homines, qui in diuinarum literarum studio & interpretatione totas ætates contriuerunt, tot integerrimos spectatissimosque Christi confessores, qui fidei suæ veritatem, vitæque sanctimoniam innumeris miraculis testatam reliquerunt, impios, infideles idololatras fuisse confirmabis? Ergo omnes illos in sceleratorum sedem atque regionem præcipites ages, ac sempiternis supplicijs viuos mortuosque mactabis? Et hoc solum propterea, quia tute tibi videris melius sapere & rectius intelligere Scripturas? Quasi vero Christus Opt. Max. ecclesiam illam quam acerbissima sibi morte in cruce despondit, in tam cęca caligine tetrisque erroribus totos 1500. annos iacere ac consenescere passus fuerit, donec, post tot secula, tui ingenij lumine mundus illustraretur.

Hæc atque alia id genus cum quadam pia cõmiserantis animi significatione modestè proposita, magnum habent momentũ & pondus ad animum hominis seducti, non prorsus obstinati, commouendum: præsertim, si magnitudo

tudo periculi, æternitas, inquam supplicioorum, vehementer etiam atque etiam inculcetur; quæ sine vlla dubitatione omnibus ijs subeunda est, qui, extra ecclesiam & sine fide catholica & orthodoxa, à vita discedunt, iuxta illud Isaiæ: *Gens & regnum quod non seruierit tibi peribit.* Isaiæ 60. 12.

His namque cogitationibus iactatus hæreticus, si non omnino errorem deponet, nutabit tamen fortasse, & rei grauitatem imminensque periculum seriò cum animo suo considerabit, cogitans fieri posse, vt non *minus ipse,* cum pauculis suis symmistis, *in* errorem sit inductus, quàm orbis terrarum vniuersus.

GOMARVS.

QVVM tertium hoc præceptum iam antea sæpius, & præsertim capite septimo, à nobis refutatum sit, ne importunè eadem repetantur, ad illa loca diligentem lectorem remittimus. Et vt insolentem hanc gloriationem Costerus deponat memmerint orthodoxi, ex iusta talionis lege, ab eo postu-

postulare, vt vel vnum primis, post Apostolorum tempora, sexcentis, imò mille annis, qui idem in omnibus cum hodierna Costeri & Pontificiorum doctrina senserit, demonstret. Age Costere, qui tam crebro & inpotenter te hac prouocatione iactas nomina vel vnum Patrem orthodoxum, vel vnicum hominem, & consentientem in omnibus proba: aut, quia id amplius longè est, quàm vt sperari vnquam possit, ostende saltem in ijs omnibus, quæ pauca ex copioso errorum vestrorum cumulo, à nobis capite præcedenti selecta sunt, consensum: aut potius (quum id præstare nullo modo possis) cede quæso veritati, da gloriam Deo, excede ocyus ex Babylone, ne peccatorum contagione, ruina illius obruaris. Quod veritatis studium, vt tibi alijsque Iesuitis & Pontificijs, aduersus stimulum calcitrantibus, donetur, Deum ex animo rogamus. Apoc. 18. 4.

ANTI-

ANTICOSTERI LIBER SECVNDVS, DE SACRA SCRIPTVRA.

CAPVT I.

QVOD, præfatione tua tandem absoluta, Costere, disputationem de sacris literis, tanquam reliquarum fundamentum, præmittis, ordinem institutum probo: sed, in opere vniuerso, quæ maximè cõmendat Deus, charitatem desidero & veritatem. Nam, vt varia conuitiorum, quæ passim, intertexis, emblemata silentio inuoluam, genuinum quæstionis statum peruertis sæpius, & argumenta nostra, in rebus grauissimis, aut præteris omninò, aut mala recenses fide. Quod sanè summum diffidentię & malæ causæ argumentum. Verùm ne hæc grauandi potius aduersarium, quàm veritatis asserendæ, studio, dixisse videar; age, ex re ipsa fiat iudicium. Primùm enim, antequam ad controuersiam de

Zachar. 8, 19.

S. Scri-

S.Scriptura disceptandam accedis. vestram de tribus S.Scripturæ modis & auctoritate, sententiam, in prima quasi acie, præmunitionis gratia, collocas; sed quæ contra ab orthodoxis copiosè solideque disputantur, ea ne verbo quidem attingis. Quasi verò non hæc prima sit & summa controuersia, ex qua reliquæ omnes dependent. Quamobrem, quæ timidè ad causam vestram in medium proponis, ea pressius examinemus, vt illustretur, ac vincat veritas.

COSTERVS.

SACRA scriptura est quæ Deum habet auctorem: sicut scriptura regis, quæ à rege proficiscitur. Constat autem tribus modis à rege quippiam conscribi; aut enim manu sua scribit: aut alteri scribenti dictat, ipse verò subscribit, sigilloque munit: aut denique nec ipse scribit, nec dictat, sed alteri vtrumque committit, ipse deinde manu sua sigilloque apposito, quod scriptum est confirmat. In his tribus scribendi modis, hoc differt primus à reliquis, quòd & men-

Triplex scribendi modus.

Similitudo.

& mentem habeat regis & stylum & characteres: secundus, non quidem characteres, sed mentem & stylum: tertius, præter solam mentem & veritatem, nihil. Vnde quod ad veritatem attinet, tametsi parem vbique in iudicio fidem faciant, primus tamen est meritò cæteris ante ferendus, ob characteres regia manu exaratos, & stylum modumque loquendi, non alterius, sed regis. Secundus, vt sit primo inferior, quòd alterius habeat manum, est tamen postremo præstantior, ob dictionem phrasimque regis. *His tribus scri-*

Scripturæ Iudæorum.

bendi modis in veteri Iudæorum populo, Deum vsum fuisse, haud difficulter erit intelligere, si veteris instrumentum consulamus: Nam ad primum modum pertinent duæ tabulæ legis, in quibus decem præcepta Decalogi digito Dei exarata fuerunt. Ad secundum referenda est tota vetus scriptura legis & prophetarum, quam tametsi non scripserit manu sua Deus ipse, Prophetis tamen dictauit, quos Spiritu

2.Pet.1.21.

Sancto suo afflauit, *Siquidem Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines,*

homines, ait, beatus Apostolus Petrus: & Dauid Propheta, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Psal.44.2. Ad tertium modum referri possunt pontificum decreta, quæ ex Cathedra Moysis illi statuebant: quæ hac communi Dei sententia, quasi sigillo, roborabantur; *Qui noluerit sacerdotis imperio obedire, ex decreto iudicis moriatur*: Deut.17.12. & Christi voce, *super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergò, quæcúnque dixerint vobis, seruate & facite*. Matth.23.2.

GOMARVS.

SPECIOSVM profectò huius controuersiæ exordium! quod si omninò verum esset, Pontificiorum sententiam magnopere stabiliret: sed quum in multis à veritate dissideat, non exiguum nobis, ad eandem labefactandam, subministrat argumentum. Nam quòd Deum, tribus illis scribendi modis in veteri testamento, vsum fuisse, affirmas; de duobus prioribus minimè contendimus, sed tertius, quem affingis, nullis idoneis rationibus demonstrari potest. Ais quidem Pontificum

decreta, quæ ex Cathedra Mosis illi statuebant eò referri posse: sed quomodo probas? an quòd Dei sententia, quasi sigillo roborabantur? Atqui ad tertium scripturæ modum, vt ex tua descriptione constat, non solùm confirmatio diuina, sed etiam ac primùm quidē scriptio humana necessaria *est:* quæ in hisce decretis nō apparet. Deinde si ratio tua quidquam valeret, tum iusta magistratus politici statuta, quum Christi firmentur auctoritate, essent S.Scriptura non *minus* quam Pontificum decreta. Denique quæ ex *Dei* verbo producis testimonia, *sententiam* tuam non demonstrant. Prius enim ex Deuteronomio petitum est errore duplici: quandoquidem & verba, & mentem loci, corrumpis. Nam disertè ait Deus, *sacerdoti aut iudici*: quemadmodum non solùm euincit Hebræa veritas (ad cuius normam Latinorum veteris testamenti codicum fides, vt rectè ex Augustino decretum Pontificium definit, examinanda est) sed etiam Græca versio, & orthodoxorum patrum Theodoreti ad eum locum, & Cypriani

Rom.13.1.2. Matth.22.21.

Pagninus & Arias inontanus.

Dist.9. §. Et veterum.

Cypriani epist.lib.4. ep.10.ad Florentium consensus, demonstrant. Quis igitur non videat pseudographema vestrum, quod ex vitioso vulgati interpretis codice proponis, *Ex decreto iudicis?* Vetustiores sanè libri minus deprauatè habent cum Lyrano, *Et decreto* (pro *Aut decreto*) quod tandem imperitia quadam aut studio, cum *ex decreto* permutatum est, & à vobis ad errorem vestrum firmandum retinetur. Ex qua re liquet, quantum fidei concilium vestrum Tridentinum mereatur, quod vulgatam versionem, in omnibus sequendam, mandat. Verùm, vt à verbis diuinis, ad sensum eorum procedamus, si decretum iudicis Israëlitici non est S.Scripturæ modus; sequitur etiam, nec pontificis decretum: quia eadem penitus firmatur auctoritate & sententia. Præterea non omnia (vt vulgò perperam statuitis) sed quædam tantùm pontificum decreta, hoc præcepto, sanciuntur; ea nimirum quæ ex S.literis hausta, non autem quæ ijs assuta. Quandoquidem legis diuinæ terminis concluduntur. Nam Moses ait, *Facies quod*

sess.4.

Deut.17.10.

cunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Deus, & docuerint te iuxta legem eius. Idque ex Glossa vestrà ordinaria & Lyrano obseruare potuisses. *Nota*, ait Glossa, *non dicitur tibi vt obedias; nisi iuxta legem docuerint. Vnde, super cathedram Mosis sedent scribæ & Pharisæi.* Idque amplius confirmatur primùm ex Dei ad Aaronem summum sacerdotum, & filios illius præcepto; *Doceatis filios Israël omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos, per manum Mosis.* Deinde ex sanctione legis ad populum vniuersum; *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri.* Et posteà; *Custodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dextram, neque ad sinistram.* Huc accedit Bellarmini Iesuitæ confessio qua ait; *Moses igitur, Deut. 17. Si difficile inquit & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c.* Et infra: *Facies quodcunque dixerint qui præsunt loco, quē elegerit Deus, & docuerint te iuxta legē eius: vbi satis aperte S. Moses controuersias exortas in populo Dei, ex lege Domini dijudicandas, docet. Ad eundem modum & Esaias clamat*

Leuit. 10. 11.

Deut. 4. 2.
Ibid. 5. 32.

Bellar. de verbo Dei lib. 1. cap. 2.

cap. 8.

cap.8. Ad legem magis & testimoniū: Et Malac.c.2. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituū est. David quoq; in Ps. 118. Beati qui scrutantur testimonia eius. Deniq. quum summi sacerdotes à veritate ad mendacium, & à vero Deo ad idololatriam interdum defecerint, non omnia eorú decreta à Deo confirmátur: multò minus tertium S. scripturæ modum & fidei normam constituunt. Quare ex hisce perspicuum est quàm indignè, & verba & sententiam huius testimonij peruertas, dum errorem vestrum firmare studes. Malum omen lapsus in limine! Similis est alterius, quem ex Matthæo adducis, testimonij ratio. Etenim Christus quidem ait, *Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite:* sed nihil ad rem: quoniam non de vllis Pontificum decretis, sed de singulorum Scribarum ac Pharisæorum doctrina loquitur. Deinde, nec alium, à diuinis Prophetarum literis, Scripturæ modum definit: nec absolutam erga Scribas obedientiam præscri-

2. Reg. 16, 11, 16. 2. Par. 36. 14.

bit; sed, vt rectè exponit Theophylactus, *Dominus dicit de his qui in Cathedra Mosis sedent: hoc est, his qui ea quæ in lege habentur, docent.* Nam alibi mentẽ suam plenius exponit, quum ait, *Cauete à fermento* (hoc est doctrina) *Pharisæorum.* Item, *Frustra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. Omnis planta, quam non plantauerit pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite eos: cæci sunt, & duces cæcorum.* Quibus sententijs, pontificum decreta, & scriptas Pharisæorum traditiones (quas deuterośes vocabãt) maximè condemnat. Idem piè testatur *Iohannes* Ferus concionatorum Pontificiorum facilè primus; *Omnia* inquit, *quæ dicunt vobis, seruate & facite: sed præmisit; Super cathedram Mosis sedent. Neque enim voluit Christus, vt omnia Pharisæorum dogmata susciperent; sed quatenus legi consonarent. Vnde & supra, quum docuisset eos legi contraria in aliquibus docere, post aliqua interposita, subintulit; Cauete à fermento Pharisæorum.* Itaque hinc aperte constat, quàm falsò in veteri testamento tertium S. Scripturæ modum statuas ac definias. An verò, primum

in

Comment. in Matth. 23.

Matth. 16. 11. 12.

Idem. 15. 9. 13. 14.

Comment. in Matthæ. 23.

in nouo quoque testamento extare, melioribus argumentis confirmes, attendamus.

COSTERVS.

PALAM est, in lege Euangelica scripturam Noui Testamenti, ad primum scribendi modum, pertinere non posse: ad secundum posse; quòd illam dictauerit S.Sanctus, non autem scripserit suis, sed amanuensium manibus: Apostolorum inquam & Euangelistarum. Cùm autem gloria domus secundæ, hoc est, Ecclesiæ, non sit minor gloria domus primæ, nimirum synagogæ, debebit ecclesia hac in re non esse synagoga inferior: habebitque manum sui sponsi & genuinam scripturam. Et quidem Ioh. 8. scripsit digitis suis Christus; sed in terra: & non nobis; sed Iudæis. Eusebius refert Christum dedisse literas ad Abagarum Regem: sed neque illæ propria Christi manu extant, neque vnquam ab Ecclesia pro eiusmodi acceptæ sunt. Quærenda est igitur alia scriptura, quam manu sua Christus exarauit. Eam nobis D.Paulus,

Scriptura nouæ legis.

Agg. 2.10.

Lib. 1. Hist. Ecclesia c. 13.

lus, ex Propheta Ieremia, ita manife-
Heb. 8. 10. & 10. 16. stat; *Dabo leges meas in mentem eorum,*
Ierem. 31. 33. *& in corde eorum superscribā eas.* Christus
enim nec ecclesiá suá à chartaceis scri-
ptis pendere, nec membranis mysteria
sua committere voluit (quod Moyses
olim magna ex parte fecerat carnali
populo) sed quum spiritualem consti-
tueret Ecclesiam, suo S. Sancto infor-
matam, vsus est sublimiore charactere,
scribens digito Dei, in corde Ecclesiæ.
2 Cor. 3. 3. *Epistola estis Christi,* (ait Apostolus) *mi-*
nistrata à nobis & scripta, non atramento,
sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis,
sed in tabulis cordis carnalibus. Quam
Ioh. 14. 16. & 26. eandem scripturam Christus his verbis
promisit; *Ego rogabo Patrem, & alium*
paracletum dabit vobis, vt maneat, vobiscum
in æternum, spiritum veritatis. Ille vos doce-
bit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcun-
que dixero vobis. Est autem scriptura hæc
Ecclesiæ catholicæ consensus & con-
cors Christianorum omnium, qui sunt
per orbem terrarum, doctrina non ho-
rum modo, sed & eorum, qui per con-
tinuas successiones ab Apostolis ad nos
vsque; fidem propagauerunt: *quæ*
scriptu-

ſcriptura (vt ait Apoſtolus) *legitur ab omnibus hominibus*. Eſtque illa *unctio, quæ docet nos de omnibus, quam qui percepit non neceſſe habet ab alio doceri*, ſicut Iohannes loquitur quum ſit θεοδίδακτος. 2.Cor.3.2. 1.Ioh.2.27. Ioh.6.45.

GOMARVS.

VT ſimilis tibi es, Coſtere! nam quemadmodum fruſtra laboraſti, vt tertium S.Scripturæ modum, in veteri teſtamento extitiſſe oſtenderes; ſic temere deſudas, vt primum ratione & auctoritate diuina, in Nouo Teſtamento haberi, demonſtres. Ais quidem; *quum gloria domus ſecundæ, hoc eſt Eccleſia, non ſit minor gloria domus primæ, nimirum Synagoga, debebit Eccleſia hac in re non eſſe ſynagoga inferior: habebitque manum ſui ſponſi, & genuinam ſcripturam:* verùm inquam, id minimè conſequitur, quia falſa gloriæ definitione niteris. Quippe Chriſtianæ Eccleſiæ gloria, vt in Nouo Teſtamento ab Apoſtolo, ſic in veteri à Propheta, non ſcripturæ modo, ſed Chriſti exhibitione, gentium omnium ad regnum Chriſti vocatione & ſpiritualium donorum copia, deli- Heb.1.1.& 10.1.& 11. 40.& 12.22.

 neatur.

neatur. Nec ſecus euinces ijs teſtimonijs, quibus maximè confidis. Nam primùm eorum quatuor, Ierem. 34. 35. 2. Cor. 3. 3. 1. Ioh. 2. 27. Ioh. 6. 45. omnino aliena ſunt: quandoquidem ſcripturæ vox, in quæſtione noſtra propriè de ſcriptura externa intelligitur, vt ex initio exordij & ſimilitudinis abs te propoſitæ apparet: contra vero in argumento tuo & hiſce locis, non propriè, ſed metaphoricè & tantum ſimilitudine quadam, vſurpatur. Præterea ſingularum eccleſiarum & *Chriſtianorum notitia & fides per charitatem efficax*, Sacra ſcriptura dici *non poteſt*: quia nec propriè ſcriptura omninò eſt, nec etiam (quum deprauari poſſit) fidei norma: vt omnibus conſtat. Atqui lex inſcripta cordibus, epiſtola Chriſti & vnctio hæc, ſunt ſingularum eccleſiarum & Chriſtianorum notitia & fides per charitatem efficax, vt liquet ex locorum circumſtantijs, & orthodoxo patrum conſenſu declaratur: Hieronymi in Eſa. 54. 13. & in Ierem. 31. 31. Auguſtini de Spiritu & litera cap. 17. imò ex pontificiorum aſſenſu, Thomæ

Aqui-

Aquinatis in Heb.8.10.Bellarmini de S.Scriptura lib.3.cap.10.& Costeri in solutione ad quartam obiectionem pag.64. Quare nihil hæc loca ad rem propositam conducunt. Deinde si de Sacra scriptura, agerent, tum sanè non tres tantùm, vt initio definis, sed quinque effingendi essent Sacræ scripturæ modi; tres vnius generis, & externæ scripturæ: duo alterius & internæ, nempe extraordinarius & immediatus, vt in Prophetis, Apostolis, Euangelistis, & ordinarius ac mediatus, vt in reliquis fidelibus. Qua etiam ex re superior nostra ad rationem tuam responsio stabilitur. Quod enim in nouo testamento omninò deest, illud ad gloriam illius non est necessariũ: primus, quem statuis, scripturæ modus, abest penitus à Nouo Testamento: qua igitur ratione ad illius gloriam pertinere affirmas? Si exceperis, simile quid extare & præstantius ac *sublimiori* (vt loqueris) *charactere*; nihil efficies. Simile hoc non est idem, nec eiusdem generis. Præterea veteris testamenti ecclesia interna, illa (quam vocas) scriptura, minimè caruit, quum & pro-

& prophetiæ & fidei dono excelluerint plurimi: nos verò externa illa digitis Dei exarata destituimur omninò. Itaque non omnes veteris testamenti scripturæ modi, vt malè statuis ad noui Testamenti gloriam requiruntur. Cæterùm superioribus quatuor, quibus abusus es testimonijs illustrandis, reliqua etiam duo coniungis, quorum prius extat Ioh. 14.16. de quo postea in quæstione de præstantia Sacræ scripturæ nobis erit pleniùs disserendũ, ac propterea in eam locum *differemus*. Alterum verò petitum est ex 2. Cor. 3. 2. *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris: quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus:* qua sententia nihil alienius adferri potuit. Docet enim Apostolus Corinthios sibi esse instar duplicis epistolæ commendatitiæ. Nam Corinthiorum animis, inscripta Pauli ministerio fides, erat Epistola Christi, qua Paulum Corinthijs commendabat, 2. Corint. 3. 3. eiusque fidei iucunda in Pauli & sociorum corde & ore memoria, fuit instar epistolæ apud alios, 2. Cor. 3. 2. & signaculũ Apostolatus Pauli, 1. Cor. 9. 2.

Quæ

Quæ epiſtola legi dicitur ab omnibus: quia ex Pauli & aliorum relatu, Corinthiorum fides paſſim innotuit. Quam interpretationem non modò Paulinæ orationis circumſtantiæ docent: ſed etiã orthodoxi patres, Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius confirmant. Itaque quum fidei Corinthiorum memoria non ſit Sacra ſcriptura: epiſtola autem hæc, quæ legi dicitur ab omnibus hominibus, ſit fidei Corinthiorum memoria, quis non videat ineptè ad Sacram ſcripturam accommodari? Ac propterea, quum nihil, ex allatis ſcripturæ teſtimonijs, habeas præſidij; temerè profectò & profanè alium, ab Apoſtolorum & Euangeliſtarum libris, Sacræ ſcripturæ modum & fidei normam, in Nouo teſtamento confinxiſti. Priuſquam verò ad alteram, quæ ſequitur, quæſtionem diſcutiendam, accedo, expendenda eſt nonnihil huius, quam comminiſceris, ſcripturæ definitio. *Eſt autem*, inquis, *ſcriptura hac Eccleſiæ catholicæ conſenſus & Chriſtianorum omnium doctrina.* Verùm quum Eccleſia catholica per vaſtum terra-

terrarum orbem, sit diffusa, consensum illius conciliorum definitis sententia: sed, quia hæc rariora sunt, nec omnes ab ijs controuersiæ deciduntur, maiori compendio ad Pontificis Romani iudicium astringitis. Quemadmodum id pluribus in controuersia de Pontifice contendis. Eos enim solùm agnoscitis pro veris Christianis & Ecclesiæ catholicæ membris qui Ecclesiæ Romanæ, quasi matri, & Pontifici, quasi capiti & certissimæ orthodoxi consensus normæ, in omnibus obtemperant. Atque hinc *splendida illa Romanæ* Ecclesiæ encomia, *Sacro sancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium & magistra: Mater fidei; Caput & cardo, cuius auctoritate omnes reliquæ ecclesiæ regantur: Fundamentum & forma ecclesiarum à qua omnes ecclesiæ principium sumserunt.* Qua de re memorabilis arrogantiæ est Calixti Papæ decretum; *Non decet,* inquit, *à capite membra discedere, iuxta Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus vos conueniat demiare.*

Decret. 6. L. 1. Tit. 1. & c. Dist. 22. §. Omnes. Ibid. §. sacrosanct. Vigilius Papa conci. Tom. 2.

Dist. 12.

deniare. Et sicut Dei filius venit facere voluntatem patris sui: sic & vos implete voluntatem matris vestræ, quæ est ecclesia. Huc etiam pertinent Pontificiæ dignitatis elogia, *Voluntariam canonum Papalium violationem esse sacrilegium, imò blasphemiam in Spiritum Sanctum, cuius nutu & gratia canones editi sunt.* Item, *Plantata vbique ecclesia sufficere vnum, qui Christi vice doctor ecclesiæ, catholicam fidem tueretur, hæreses damnaret, & in se conuersos haberet cæteros: à quo, tanquam Dei vicario, Christi sententiam & veritatem omnes expeterent.* Tua verba, opinor, agnoscis, Costere, quibus, in controuersia de Pontifice Romano consensus orthodoxi & fidei vestræ normam describis. Atque eo tandem doctores vestri longis ambagibus oberrantes dilabuntur. Hinc igitur liquet illam à vobis catholicam omnium Christianorum doctrinam & orthodoxum consensum definiri: qui Pontificis Romani iudicio conformatur. Reliquos enim omnes, etiam concilia totius orbis vniuersalia errare posse (quamuis etiam legato Pontificis præsente ac probante) asseritis, donec confirma-

Causa 17. quæst. 4. cap. Si quis.

Causa 25. qu. 1. cap. violatores.

Bellar. de concil. lib. 2. c. 11.

firmatio Romani Pontificis (qui solus ab erroris periculo, vestra opinione immunis est) accedat. Itaque, quod communem omnium Christionorum consensum & conciliorum auctoritatem tantoperè iactatis, inanis larua est, ad rudiores fallendos prætensa: quum sola & vniuersa quæstio, in Pontificis auctoritate definienda, consistat. De qua re, quum ad eam controuersiam fuerit deuentum, pluribus ex sacris literis, & orthodoxo patrum & prudentiorum Pontificiorum consensu, disseremus.

CAPVT II.

QVAMOREM strata iam sequentibus via, ab huius scripturæ, quam nobis commentus es definitione, ad auctoritatem illius transeamus. Cæterùm, ne quis errori sit locus, non de eo disputatur, an singularis & diuina Apostolorum scientia, eorundem literis antecellat: sed an communis ecclesiæ consensus & Romani Pontificis sensus illis præstent, nec ne? Nos, tributa Deo sua gloria, id meritò negamus: contrarium verò confidenter asserit

Coste-

COSTERVS.

HVIVS scripturæ præstantia multis partibus superat scripturas, quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt. Primò, quòd illa sit exarata digito Dei; hæc calamis Apostolorum. Secundò quòd illa sit antiquior, nempè cum Ecclesia data hæ posteriores: quia constat totis duodecim annis, sine scriptis Apostolicis, Ecclesiam fuisse. Tertiò quòd hæ prioris illius indiguerint confirmatione: quia *Euangelio non crederem* (ait B. Augustinus) *nisi me Ecclesiæ auctoritas commoueret.*

Differentiæ inter scriptur. internas & externas.

Cap. 4. contra Epist. fundamenti.

GOMARVS.

INAVDITAM priscis temporibus, in ecclesia Dei, consensus ecclesiæ auctoritatem definis: quum non solum scripturam appellas, verùm etiam diuinis Apostolorum literis, insigni blasphemia, præfers. Sed quibus, obsecro, argumentis? Sanè si numero certandum esset, causam vestram, aliquo modo comprobasses: sed, quum pondere & rei veritate demonstratio con-

ſtet, nihil illis quinque quas adducis rationibus apud pium & attentum lectorem, poteris obtinere. Nam quòd primum ais, Sacram ſcripturam calamis Apoſtolorum conſcriptam, quis neget? ſed, quod adiungis, conſenſum eccleſiæ exaratum eſſe digito Dei, illud abſolutè probari non poteſt. Nam quum Eccleſia, lunæ inſtar, ſua habeat incrementa; conſenſus illius in multis, non ſemper à Deo, ſed interdum ab humana cæcitate promanat: quemadmodum in proxima de Eccleſia controuerſia pluribus oſtendemus. *Deindè* verò quod Eccleſiæ conſenſum *Sacris* literis antiquiorem facis, quòd multos annos, ſine ſcriptis Apoſtolicis, fuerit Eccleſia, id parum ad illius præſtantiam conducit. Nam alioqui lex Moſis Euangelio; Vetus teſtamentum, Nouo, conciones Iohannis Baptiſtæ, Chriſti verbis, propter antiquitatem, antecellerent. Imò verò vt hoc argumentum in te retorqueatur, ſi, quo quid antiquius, eò eſſet præſtantius,
Ierem. 31. 31. tú ſanè prophetia illa Ieremiæ, calamo exarata, de inſcriptione legis in cordibus

bus electorum, eandem inſcriptionem, hoc eſt, (vt ipſe interpretaris) eccleſiæ Noui teſtamenti conſenſum dignitate ſuperaret. Quamobrem vides, Coſtere, quàm perperam concludas. Nec conſequentia ſolùm inconſtans, ſed ipſa quoque ratio infirma eſt. Quandoquidem ſcripturæ vox Dei verbum diuino afflatu conſcriptum notat: vnde à materia & forma interna, verbum Dei, à forma verò externa, ſcriptura appellatur. Itaque ſi ſcriptionem ſpectes, eccleſia prima, tempore anteceſſit: ſin doctrinam, quæ ea continetur, ac potiſſima ſcripturæ pars eſt, conſideres, ſcriptura Eccleſiam antiquitate ſuperat. Quum enim fundamentum antiquius ſit ædificio, vt communis ſenſus demonſtrat & ſcriptura ſeu doctrina Apoſtolorum & Prophetarum ſit eccleſiæ, tanquam domus Dei fundamentum: quis ſummam illius antiquitatem non agnoſcat? Etenim quum de Sacra ſcriptura loquimur non de externis literis, ſed de interna earũ ſignificatione & doctrina ſalutari quæ illis, tanquam fideli theſauro, continetur Ephes. 2. 20.

ac definitur, disputamus: eamque tanquam Dei verbum, ecclesiæ consensu meritò præstantiorem esse demonstramus. Nam quòd contrà inferiorem esse statuis, quasi Scriptura sacra consensus ecclesiæ confirmatione indiguerit, illud obscurè dicitur, & malè omninò concluditur. Quum enim quædam ad rei confirmationem absolutè & per se, quædam per accidens & propter aliud requirantur, non eadem vtrinque est ratio. Quoniam, si id, cuius confirmatione, per accidens & propter infirmitatem humanam alterum *indi-*
Ioh. 1. 7. 37. Acto. 1. 8. Ioh. 4. 38. 42. & 5. 34. & 6. 69. *get*, ea re esset dignius tum *Iohannes* Baptista, Apostoli, & Samaritana mulier (quorum confirmatione Christus non suo, sed aliorum vitio opus habuit) Christum dignitate superarent. Pari etiam ratione miracula Christi, eidem antecellerent. Dicit enim; *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis.* Quare
Ioh 4. 48.
quamuis, propter hominum imbecillitatem, ecclesiæ iudicium ad sacrarum literarum certitudinem apud imperitos, confirmandam, requiratur; non proptereà tamen Ecclesia scripturam

S

digni-

dignitate antecedit. Nam quum Sacræ literæ sint verbum ab ipsomet Deo dictatum, alterius confirmatione per se non indigent; sed suo robore in æternum consistunt; quia auctor earum est Deus omnium Dominus, & mentiri nescius. Qua de re Bellarminus Iesuitarũ coryphæus ait: *quod si interdum catholici aliqui dicunt scripturam pendere ab Ecclesia siue à concilio: non intelligunt quoad auctoritatem, & secundum se, sed quoad explicationem & quoad nos, &c. Itaque concilia quum definiunt qui sint libri canonici & diuini, non faciunt eos infallibilis veritatis; sed declarant solùm esse tales.* Hinc igitur concludo, interpres & testis solùm literarum sui regis, ijs non est præstantior, sed inferior: ecclesiæ consensus est interpres & testis solùm Sacrarum literarum, quæ summi omnium regis & Dei viuentis literæ, (vt scitè patres orthodoxi obseruarunt) ac propterea sine grauissimo scelere consensui ecclesiæ postponi non possunt. Vnde perspicuè apparet celebre illud Augustini dictum; *Ego Euangelio non crederem, nisi me ecclesiæ commoueret auctoritas*, sententiam

Lib. 2. de conciliis cap. 12.

Augustin. epist. 111 ad Iulianũ: Macarius hom. 39. Gregor. magnus epist. lib. 4. ep. 84.

vestrá minimè stabilire. Verùm quandoquidem eo, quasi palmario, potissimum, aduersus orthodoxam de scripturæ auctoritate doctrinam, insultatis; age, corollarij loco distinctè examinemus, & ijs, quæ à nostris theologis copiosè & eruditè explicata sunt, nostram etiam tuendæ veritati symbolam conferamus. Ac primùm quidem, vt vna hirundo non facit ver, sic nec Augustini exemplum regulam generalem. Nam varijs modis homines conuerti & ad fidem Euangelij cómoueri certum est. Quoniam singulæ ecclesiæ, *quæ* autographa Apostolorú sibi *missa* seruabant, non catholicæ ecclesiæ auctoritate mouebantur, sed ipsis Apostolorum literis. Reliqua verò catholica ecclesia, re comperta, illarum fidem sequebatur. Multi præterea non catholico consensu; sed vel miraculorum splendore, vel visa martyrum constantia (vt Iustinus Martyr) vel certorum Christianorum probitate, ad Christum & Euangelij fidem adducti sunt. Deinde verò, esto exemplum Augustini instar omnium, nihil inde, aduersus senten-

Tertullianus de Præscript. August. de doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. & cóntra Faustum Manichæum lib. 11. cap. 2.

Euseb. hist. ecclesiast. lib. 4. cap. 8.
1. Pet. 3. 1.

sententiam nostram, concludi potest. Nam Ecclesiæ auctoritas ei fuit ad fidem Euangelij, causa procreans & conseruans, non sola nec principalis, sed adiuuans & ministra tantùm. Nam tria illa quæ plerumque ad aliorum conuersionem, etiam ad Augustini fidem generandam & fouendam concurrerunt, nempe testimonium ecclesiæ, & auctoritas Dei duplex, externa & interna. Quarum prior auctoritas, extra fideles, in ipsis sacris literis consistit: in quibus admiranda doctrinæ maiestas & veritas summa, in patrium consensu & prophetiarum cum euentu conuenientia, elucet: quæ auctoritates ecclesię fundamenta. Altera verò & interna Dei auctoritas, est in ipsis electis, flexio voluntatis & mentis illustratio per Spiritum Sanctum. Priora duo, nomine Dei, fidem iubent, adsuadent; sed postremum solùm persuadet. Quæ satis superque ex ipsomet Augustino demonstrari possunt: præsertim ex confessionũ libris: quibus anteactæ suæ vitæ historiá, quàm accuratissimè describit. Docet enim Manichæos scripta Tom.6. De vtilitate credendi cap 3.

Veteris Testamenti & Acta Apostolorum reiecisse omninò: Euangelia verò quatuor, & Pauli epistolas, non Scripturam sacram, sed merè sacrã negasse, quòd interpolatam & corruptam dicerent ab ijs qui legem Euangelio miscere studuerãt. In qua hęresi fuerat Augustinus; vnde, certis quibusdam gradibus, ad fidem orthodoxam reductus est. Ac primum quidem moueri cœpit Carthagine, Elpidij viri pij & eruditi cum Manichæis disputatione: quòd argumenta Ecclesiæ orthodoxæ, ex Sacris literis petita firmiora esse obseruaret, quàm vt à Manichæis possent infirmari. Deinde contra quum nodos Manichæorum commodè ex S. scriptura posse dissolui, crebra Ambrosij auditione didicisset, fermè commotus est. Postea verò magnum ad fidem momentũ addidit auctoritas ea, quam Deus Sacræ scripturæ apud omnes populos conciliarat. Denique Colophonis instar accessit persuasio Dei, seu donata fides: quam subsecutum est plenioris intelligentiæ donum. Quæ singula subiectis Augustini testimonijs confir-

confirmantur. Ac de primo quidem gradu sic ait: *Iam enim Elpidij cuiusdam aduersus eosdem Manichaeos coram loquentis & differentis sermones, etiam apud Carthaginem, mouere me coeperant, quum talia de scripturis proferret, quibus resisti facile non posset, & imbecilla mihi responsio videbatur istorum. Quam quidem non facile palam promebant, sed nobis secretius, quum dicerent, scripturas noui testamenti falsatas fuisse à nescio quibus, qui Iudaeorũ legem inserere Christianae fidei voluerunt: atque ipsi incorrupta exemplaria nulla proferrent.* Confess. lib. 5. cap. 11. De secundo verò gradu ait; *Et dum cor aperirem, ad recipiendum, quàm disertè diceret* (Ambrosius) *pariter intrabat, & quàm verè diceret, gradatim quidem. Nam primò etiam, ipsa defendi posse, mihi iam coeperant videri, & fidem catholicam, pro qua nihil posse dici aduersus oppugnantes Manichaeos putaueram, iam non impudenter asseri existimabam: maximè audito vno atque altero, & saepius aenigmate soluto, de scripturis veteribus: vbi, quum ad literam acciperem, occidebar, spiritaliter. Itaque plerisque illorum librorum expositis locis, iam reprehendebã desperationem meam, illam duntaxat, qua credideram, le-* Confess. lib. 5. cap. 14.

P 5 gem

gem & Prophetas detestantibus atque irridentibus, resisti non posse: nec tamen ideo mihi catholicam viam tenendam esse sentiebam, &c. Statui ergo, tam diu esse catechumenus in catholica ecclesia à parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret, quo cur-

De vtilitate credendi, c. 8. *sum dirigerem.* Et alibi. *Atque id sedulò faciebam* (precabar) *& iam ferè me commouerāt nonnullæ disputationes Mediolanensis episcopi: vt non sine spe aliqua, de ipso Veteri Testamento, multa quærere coeperem: quæ, vt scis, malè nobis commendata execrabamur. Decreuerámque tam diu esse catechumenus in ecclesia, cui traditus à parentibus eram, donec, aut inuenirem, quod vellem, aut mihi persuaderem, nō esse quæren-*

Confess. lib. 6. cap 3. Plura vide cap. 4. *dum.* Sic alibi, *Et cum quidem in populo verbum veritatis rectè tractantem omni die Dominico audiebam, & magis magisque mihi confirmabatur, omnes versutarum calumniarum nodos, quos illi deceptores nostri aduersus diuinos libros innectebant, posse dis-*

Confess. lib. 6. cap. 4. & 5. *solui.* De tertio verò gradu, hæc ait: *Sed sicut euenire assolet, vt malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere, ita erat valetudo animæ meæ: quæ vtique, nisi credendo, sanari non poterat & ne falsa crederet;*

deret, curari recusabat, resistens manibus tuis qui medicamenta fidei confecisti, & aspersisti super morbos orbis terrarum, & tantam illis auctoritatem tribuisti. Ex hoc quoque iam praeponens doctrinam catholicam. De quarto verò gradu hæc subijcit; *Deinde paulatim tu Domine manu mitissima & misericordissima pertractans & componens cor meum, consideranti, quàm innumerabilia crederem, quæ non viderem, neque quum gererentur, adfuissem (sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque vrbibus, quæ non viderem, neque quum gererentur adfuissem, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus alijs atque alijs, quæ nisi crederentur, omninò in hac vita nihil ageremus: postremò quàm inconcussè fixum fide retinerem, quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem) persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent, esse culpandos: nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent, vnde scis illos libros vnius veri & veracissimi Dei Spiritu esse humano generi ministratos? Id ipsum enim maximè credendum erat.* Denique de intelli- Contra epist. fundamenti, cap. 14.

telligentia hæc ait; *Eos sequamur, qui nos inuitant prius credere, quod nondum valemus intueri: ut ipsa fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur, non iam hominibus, sed ipso Deo mentem nostram firmante atque illuminante.* De tota verò conuersionis suæ ratione hæc paucis

Confess. lib. 6. cap. 6.

refert, *Ideóque quum essemus infirmi, ad inueniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate Sanctarum literarum, iam credere cœperam, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes terras auctoritatem, nisi & per ipsam tibi credi & per ipsam te quæri voluisses. Iam enim absurditatem, quæ me in illis literis solebat offendere, quum multa ex ijs probabiliter exposita audissem ad sacramentorum altitudinem referebam: eóque mihi illa venerabilior & sacrosancta fide dignior apparebat auctoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu & secreti sui dignitatē in intellectu profundiore seruaret, &c.* Hactenus celeberrimum Augustini dictum à peruersione Pontificia vindicauimus: quamobrem ad reliquas tuas rationes procedamus.

Costi

COSTERVS.

QVARTÒ, quod istæ sint litera mortua scripta atramento in membrana vel charta, quam si quis vel truncare velit, vel torquere, vel prauis expositionibus corrumpere, nihil sentiat: illa verò quum scripta sit Spiritu Dei viui, in cordibus viuis ecclesiæ, truncari & torqueri se non sinit; sed, sui per omnia similis, perseuerat. Quintò, istæ nō omnia continent religionis mysteria explicitè: vtpote non ob id datæ, vt formulā exactam & omnibus numeris absolutam nobis præscribant fidei, administrationis sacramentorum, aliorumque in republica Christiana necessariorum; sed occasione quadam vel ad Iudæos vel hæreticos confutandos, vel ad abusus quosdam tollendos, vel ad fideles consolandos, à quibusdam scriptæ & nonnullis ecclesijs missæ. Illa autem, quam Spiritus Sanctus in cordibus imprimere dignatus est, omnem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria, omnemque rationem Christianæ religionis complectitur, & omnia dubia,

quæ

quæ de fidei negotijs exoriri possent, dissoluit. *Spiritus Sanctus* (inquit Christus) *docebit vos omnem veritatem.* A qua scriptura hoc habet ecclesia, vt ab Apostolo *columna & firmamentum veritatis,* vocetur: & de ea à Christo dicatur; *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus:* Ex quo sequitur, hanc scripturam esse omnium scripturarum interpretem, omnium opinionum iudicem, omnium errorum expultricem, à cuius iudicio ad alium iudicem non liceat cuiquam prouocare, imò cuius iudicium, iudices omnes inspicere & sequi teneantur.

Joh. 14. 26. & 16. 13.

1. Tim. 3. 15.

Matt. 18. 17.

GOMARVS.

VERVM illud omninò est, Costere, quod dici solet, eum qui semel à recta via in alteram partem declinarit, quo amplius progreditur, eò longiùs aberrare. Nam quemadmodum tribus superioribus rationibus, à debita sacris literis reuerentia recessisti, sic ab eadem multò amplius deflectis, & immodestius etiam oppugnas. Nam vt consensum ecclesiæ originis dignitate, tẽporis anti-

antiquitate & auctoritate, Sacris Apostolorum literis antea prætulisti; sic hoc loco, constantia & perfectione ijsdem præstare, summa in Deum contumelia, contendis. Hac enim ratione, errore prorsus gemino, propriam verbo diuino laudem iniquè detrahis & alienam ecclesiæ consensui indignè ascribis. Nam primùm, quod obijcis, sacras literas posse *truncari torqueri, & varijs explicationibus corrumpi* quamuis suo modo verum esse, non aliorum solùm, sed tuo etiam exemplo, sæpius antè demonstratum sit; absolutè tamen, sine summa iniuria concedi non potest. Quum enim corruptio scripturæ, alia sit contextus, alia expositionis, alia vtriusque: omnibus modis scriptura se tuetur. Nam si contextus in quibusdam exemplaribus hæreticorum prauitate truncetur, aut adulteretur, reliquorum exemplarium antiquorum integritas succurret. Qua ratione Manichæorum calumniam & fraudem Augustinus agnouit, vt antea ex Confessionum libris demonstraui, & ex insigni illa ad Hieronymum epistola apparet. Lib.5.cap.11.

Epist. 19. paret. *Manichei* (inquit) *plurima diuinarum scripturarum, quibus eorum nefarius error clarissima sententiarum perspicuitate conuincitur, quia in alium sensum detorquere non possunt falsa esse contendunt: ita tamen vt eandem falsitatem non scribentibus Apostolis tribuant, sed nescio quibus codicum corruptoribus, quod tamen, quia nec pluribus siue antiquioribus, exemplaribus, nec praecedentis linguae auctoritate (vnde Latini libri interpretati sunt) probare aliquando potuerunt, notissima omnibus veritate superati confusique, discedunt.* Et sanè quum Deus Sacras literas tanquam perpetuam voluntatis suæ epistolam, & vt fœderis nobiscum initi tabulas & fidei Christianæ canonem ecclesiæ commendarit

2. Cor. 3. 6. 14. (vnde *vetus & nouum fœdus* aut *testamentum* omnium consensu inscribuntur & *Scriptura canonica* appellantur) necesse fuit, ad salutem ecclesiæ, Sacras literas integras conseruari. Et in veteri quidem testamento integrè custodiendo, Deus singulari sua prouidentia non Christianorum solùm, sed etiam Iudæorum vsus est ministerio; qui adeò religiosè conseruarunt, vt singularum

etiam

etiam vocum & literarum numerum fidelissimè annotarint: quemadmodum Pontificiorum doctissimi agnoscunt, ac prædicant: Qua de re memorabilis Augustini sententia, *Propterea* (inquit) *adhuc Iudæi sunt, vt libros nostros portent, ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas literas. Et ne fortè dicant, dari ad fidem quia nos illas Christiani composuimus, vt cum Euangelio quod prædicamus finxerimus Prophetas, per quos prædictum videretur quod prædicamus, hinc eos conuincimus; quia omnes ipsæ literæ quibus Christus prophetatus est, apud Iudæos sunt, omnes ipsas literas habent Iudæi. Proferimus codices ab inimicis, vt confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio sunt Iudæi? Codicem portat Iudæus, vnde credat Christianus: librarij nostri facti sunt; quomodo solent serui post Dominos codices ferre, vt illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Hactenus in enarratione in Psalmum 56. Augustinus, de fideli veteris testamenti conseruatione, testatur. Et contra Faustum Manichæum lib. 12. c. 23. *Quid est enim aliud hodiéque gens ipsa* (Iudæorum) *nisi*

quædam scriniaria Christianorum baiulans leges, & Prophetas, ad testimonium assertionis ecclesiæ. In Nouo verò Testamento patrum & aliorum fidelium diligentia in Græcis illius exemplaribus rectè conseruandis & conferendis hæreticorum imposturas perspicuè & abundè patefecit. Si qui verò, in Bibliorum versiones varias, irrepserint errores, eos ad fidem codicum Hebræorum in Veteri, & Græcorum in nouo testamento corrigendos fuisse, & correctos, non patres solum sententia & reipsa demonstrarunt, sed etiam antiquum Pontificum decretum ex Augustino rectè confirmat. *Decet enim* (vt ait Marcus Aurelius Cassiodorus) *vt vnde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio. Quoniam* (vt de eadem re ait Hieronymus aduersus Heluidium), *multo purior manare credenda est fontis vnda, quàm riui.* Itaque si quædam fortè exemplaria hominum improbitate aut negligentia truncentur aut adulterentur, reliquorum codicum integritate, piorum fide, Sacræ literæ, Dei prouidentia, ab iniuria vindicantur. Sin verò ad expositionis

Dist. 9. §. & veterum.

Instit. lectionum diuin. lib. 1. cap. 15.

fitionis corruptionem deuenire lubeat, fatemur quidem, cum Apostolo Petro, *indoctos parúmque stabiles Sacras scrpturas suo ipsorum exitio detorquere*; sed interim manent in seipsis integræ & illæsæ, & aduersus sententiæ suæ corruptores solida & perspicua præbent argumenta: quibus, *quasi sagittis, hæreticorum filij* (vt Hieronymus monet) *conficiuntur*: & tanquam *gladio Spirituali*, (vt Paulus præscribit) Diabolum oppugnantem fugamus. Siquidem id Christus exemplo suo, sæpius comprobauit. Nam, quum genuinam Sacrarum literarum sententiam, ad ipsum superandum corrumperet Satanas, non aliunde, quàm ex ijsdem literis, aduersarij improbitatem, detexit & repressit. Eadem etiam ratione ac via Petrus, Paulus, alijque Apostoli, sacrarum literarum corruptores, deuicerunt. Denique si adeò effrænis existat quorundam hominum audacia, vt & contextum & sententiam Sacræ scripturæ simul contaminent, ijsdem rationibus, quas distinctè iam recensui, conuincentur. Primum bonorum & antiquorum exemplarium

2. Pet. 3. 16.

In Esai. 13.

Eph. 6. 17.

Matth. 4.

August. cōtra Faustum Manichæū lib. 10. cap. 4 & 5. & lib. 11. cap. 2. & lib. 32. cap. 16.

 inte-

integritate: deinde vel ijsdẽ mutilis & corruptis libris. Nam tanta Sacrarũ literarum est præstantia: vt si magna parte truncentur aut adulterentur, id tamen quod integrum & sanum supererit, satis habebit momenti, ad improborũ corruptelas redarguendum. Nam quamuis Sadducæi spreta reliquorum Prophetarum auctoritate Veteris Testamenti codicem ita imminuerint, vt solos libros Mosis amplecterentur, ex ijsdem tamen à Christo perspicuè & solidè confutati sunt. Sic etiam licet Marcionitæ Nouum testamentum additione & detractione varia corruperint olim, non solùm integrorum codicum fide, sed etiam, ex reliquijs incorruptis, corruptelas eorum Tertullianus & alij patres orthodoxi grauiter copioséque demonstrarunt ac diluerunt. Quod præclarè testatur Irenæus, *Tanta est autem* (inquit) *circa Euangelia hac firmitas, vt & ipsi hæretici testimonia reddant ei, & ex ipsis egrediens vnusquisque eorum conetur suam confirmare sententiam. Ebionæi etenim eo Euangelio quod est secundùm Matthæum solo vtentes, ex illo ipso conuincuntur, non*

Contra Marc. lib. 4. cap. 5. & 6.

Iren. lib. 3. cap. 11.

non rectè præsumentes de Domino: Marcion autem id quod est secundùm Lucam circumcidens, ex his quæ adhuc seruantur penes eum, blasphemus in solum existentē Deum ostenditur. Qui autem Iesum separant à Christo, id quod secundum Marcum est præferentes Euangelium, cum amore veritatis legentes illud corrigi possunt: hi autem qui à Valentino sunt, quod est secundùm Iohannem plenissimè vtentes, ad ostensionem coniugationem suarum, ex ipso detegentur, nihi rectè dicentes. Nec veteres solùm doctores, sed vester etiam Sanctus Gilbertus sacrarum literarum, non minus quam reliquarum, vsum & constantiam generali hac ratione eleganter commendauit; *Bonum* (inquit) *est, si dicantur verba, sed nihilominus bonum est, si scribantur verba. Volat enim irreuocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum & stabile facit & visibile, mandatum pagina reposcetur quum voles. Bonus depositarius est liber, integrè, quod acceperit, resignans: quum voles, sumes; vbi voles, leges, quam diu voles, moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est, quia verbi repræsentatrix est. Tutò verbi medicamenta illic recondis: seruātur enim illæsa.* Quamobrem

In cantica sermone 47.

 ex.

ex hisce quæ hactenus disseruimus omninò elucere existimo, quàm iniquè Sacris literis inconstantiá obiectes: quum in sese (frustra oppugnantibus aduersarijs) integræ persistant, & arma valida, detegendis ac superandis ipsarum corruptoribus, subministrent. Nam ne longiùs abeamus quænam Sacrarum literarum Noui Testamenti corruptio & peruersio maior esse possit quàm quod illas *literam mortuam* appellas? Etsi enim in sese, nec sensum, nec motum habeant, Spiritus tamen efficacia eas non solùm conseruat, sed etiam quodammodo animat ac viuas reddit: & propterea Euangelium, non minus scri-
Ioh.20.31. ptum, quàm prædicatum (quo instrumento auditores fide & charitate viui-
2.Cor.3.6.7.8.9. Rom.1.16. Galat.6.16. 2.Tim.3.15. ficantur) *Spiritus, ministerium Spiritus & iustitiæ: & potentia Dei ad salutem omni credenti*, ab Apostolo nominatur. Legis verò doctrinam suo modo literam mortuam appellari, quatenus nimirum per se considerata, ab Euangelij & Spiritus gratia secernitur, notum & explo-
2.Cor.3.7.14. ratum est ex Pauli sententia & patrum consensu: sed Euangelium mortuam esse

esse literam, vtrisque repugnat. Quemadmodum etiam Bellarminus Iesuita his verbis confirmat, *Apostolus Paulus neque per literam occidentem, Sacram scripturam, neque per Spiritum viuificantem internam Spiritus alloquutionem intelligi voluit. Neque aliud sunt Paulo, litera & Spiritus, quàm lex & gratia.* Itaque defensa iam Sacrarum literarum constantia & dignitate, qua ratione ecclesiæ consensum (quem internam Scripturam vocas) supra Dei verbum extollas perpendamus. *Illa* (inquis) *quum scripta sit spiritu Dei viui in cordibus viuis Ecclesiæ, truncari & torqueri se non sinit, sed sui per omnia similis perseuerat.* Magna profectò ecclesiæ commendatio! quam si aperto Dei verbo, aut iustis rationibus probare posses libenter meritoque amplecteremur: Sed rei veritas & scripturæ dignitas obsistit. Primum enim, quòd consensum ecclesiæ, Spiritu Dei viui scriptum, affirmas, de Apostolis & Prophetis omnino verum esse, controuersia caret; sed de ordinaria ecclesiæ ratione non absolutè, sed ex parte tantùm dici potest. Nam in consensu Ecclesiæ quatuor gra-

De verbo Dei lib. 2. cap. 3.

dus considerandi sunt, veritatis salutaris apprehensio, intelligentia, assensus obedientia: quorum duo priores communiter hominum ministerio, per sacrarum literarum lectionem vel prædicationem, animis auditorum inscribuntur: reliqui verò duo à Spiritu sancto promanant: qui mentem sua luce ad assensum, & cor seu voluntatem, suo motu, ad obedientiam adducit. Quibus modis *legem diuinam mentibus indere & cordi inscribere dicitur*. Deinde verò quod ais, sensum ecclesiæ truncari & torqueri non posse, sed sui per *omnia* similem perseuerare, id malè ex antecedenti concludis & falsò pronuncias. Nam si quidquid Spiritu Dei viui inscriptum est cordibus sui per omnia simile permaneret, fides & charitas Christianorum, quæ eiusmodi sunt, turbari & lædi non possent: quod tamen Sacræ literæ & deploranda multorum experientia clarissimè refellunt. Deinde verò non eundem semper consensum ecclesiæ permanere, sed humana imbecillitate, duobus modis infringi & vitiari posse res ipsa testatur. Primùm ratio-

Ierem. 31. 33. Heb. 8. 10.

ratione partium, quemadmodum ex Ecclesiarum * Galaticarum & † Corinthiarum exemplis, viuentibus adhuc Apostolis, apparet: & sequuta tandem tristissima infinitorum Christianorum & maximæ partis ecclesiæ catholicæ in Oriente & Occidente ad Ethnicorum idololatriam, aut ad Mahumetis impietatem, aut ad varias hæreses defectione, compertum est. Deinde ratione totius: quia & Ecclesia ante Christum vniuersa & post Christum nonnulla concilia vniuersalia (quæ ecclesiam catholicam *repræsentatiuam* vulgò appellatis) errare potuisse & errasse, postea pluribus partim in hac prima, partim in secunda de Ecclesia controuersia demonstrabitur, ac constabit. Quare confirmata iam satis Sacrarum literarum cõstantia, ad perfectionem earum aduersus quintam rationem tuam, qua consensum ecclesiæ præstantiorem esse contendis, transeamus. Ac primùm obijcis quòd sacræ Apostolorum literę, *non omnia contineant religionis mysteria explicitè: vtpote, non ob id datæ vt formulam exactam & omnibus numeris absolutã nobis*

* Galat. 1.6. & 3.1.
† 1. Cor. 3.3. & 11.3.

præscribant fidei & administrationis Sacramentorum, aliorúmque in republica Christiana necessariorum. Sed quum hæc pleraque ab orthodoxis nostris ecclesijs seriò & meritò pernegari sentias, id ea ratione probare contendis quòd scripta Noui Testamenti *occasione quadam, vel ad Iudæos vel hæreticos confutandos, vel ad abusus quosdam tollendos, vel ad fideles consolandos à quibusdam scriptæ & nonnullis ecclesijs missæ sint.* Verùm vt omittam quòd importunè aduersus Sacrarum literarum perfectionem hoc loco disseris (quum de eo argumento distincta sequatur quæstio) quis, obsecro, consequentiam, quam connectis, admittat? aut quomodo eam nobis comprobabis? Etsi enim res quædam singulares & certæ ecclesiæ scripto alicui præbere possint occasionem; non inde tamen necessario sequètur scriptorem, eas res solùm, explicare debere, & ad certæ tantùm ecclesiæ vtilitatem: quin potius contra fiet, vt vna, quod aiunt, opera plurimis inseruiatur. Alioquin si ratio illa, quam obijcis, valeret, Mosis & Prophetarum scripta,

quæ

quæ Iudæorum & certorum hominum occasione olim edita sunt, ad nostram doctrinam & perfectam institutionem nullo modo pertinerent. Quod quàm absurdum sit, ex perspicuis Apostolorum sententijs elucet. Ita igitur Nouum Testamentum bona parte certis occasionibus conscriptum est, vt tamen omnia fidei mysteria complectatur, & certis hominibus aut ecclesijs missum, vt vsu interim, ex spiritus Sancti instituto, ad omnes redeat. Ac prius quidem, postea plenius liquebit: alterum verò demonstratur ex prima ad Corinthios epistola quæ illis quidem mittitur, sed nihilominus omnibus etiam Christianis inscribitur, quemadmodum & reliquæ Pauli epistolæ ad communem fidelium institutionem pertinent vt diserto Petri Apostoli testimonio declaratur. Idque apertè ac perspicuè attestantur patres, quemadmodum Tertullianus ait; *Ad omnes Apostoli scripserunt, dum ad quosdam*: & Cyrillus; *Hac re commotus Iohannes par esse putauit, tam præsentibus, quàm futuris, huius Euangelij conscriptione, consulere:* Hieronymus,

Rom. 15. 4. 2. Timot. 3. 16. 17.

1. Cor. 1. 2.

2. Pet. 3. 15.

Contra Marcion. lib. 5.

Prologo in Iohannem.

In Psal. 86.

nymus, *sicut scripserunt Apostoli sic & ipse Dominus, hoc est per Euangelia sua locutus est, non vt pauci intelligerent, sed vt omnes:* Augustinus; *Quicquid enim ille* (Christus) *de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus, imperauit.* Sic de Euangelio Lucæ ait celebris Romanæ ecclesiæ interpres Lyranus, *Dicit ergo, Optime Theophile, non quod pro ipso solo scriberet, sed quia scripturam ei dirigebat pro ipsius & fidelium omnium salute.* Deniqúe Gregorius, Magnus Pontifex Romanus, *Scripturæ,* (inquit) *sacræ duo sunt testamēta, quæ vtraque Dei Spiritus scribi voluit, vt nos à morte æterna liberaret.* Quamobrem frustra & periculosè aduersus stimulum calcitras, Costere, dum Noui Testamenti perfectionem & præstantiam oppugnas: & eò quidem indignius, quod ad Ecclesiæ consensum, propriam verbi diuini laudem, iniquè transfers. *Illa autem* (inquit) *quam Spiritus Sanctus in cordibus imprimere dignatus est, omnem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria, omnemque rationem Christianæ religionis complectitur, & omnia dubia quæ de fidei negotijs oriri*

De consensu Euangel. lib. 1. cap. 35.

Ad prologum Lucæ.

In Ezech. Homil. 7.

oriri possunt, dissoluit. Sanè, si de Apostolis & Prophetis sermo esset, meritò hunc honorem ijs asscriberemus, sed quũ de ordinaria ecclesię scientia disseras, sine summa in Deum & rei veritatẽ iniuria, ei tribui non potest. Nec enim rationes, quas adducis, eæ sunt; vt fidem apud pium & attentum lectorem mereantur. Nam quòd primùm, à Christi promissione illa *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem*, malæ causæ subsidium petis, nihil ad rem facit: quum hæc promissio, non ad vniuersam ecclesiam & perpetuum illius consensum, sed nominatim ad Apostolos referatur: quemadmodum ex orationis serie & promissionis complemento apparet. Etenim hæc Apostolorum deductio in omnem veritatem, duo complectitur, perfectam ad Euangelium omnibus gentibus annunciandum, cognitionem & perpetuum Spiritus Sancti in eo regimen, vt in docendo essent extra omne erroris periculum, eorumque doctrina esset planè diuina & ecclesiæ fundamentũ. Deinde, si hæc promissio non ad solos Apostolos,

Ioh. 14.26. & 16.13.

Actor. 1.8.

Eph. 2.20. Ap. 21.14.

ſtolos, ſed ad totam Eccleſiam referatur, id ea fiet ratione, vt aut ad ſingula illius membra pertineat, aut ad cuncta ſeu ad corpus eccleſiæ, per cuius membra veritas omnis diffuſa ſit: at neutro modo rectè huic loco conueniet. Nam, ſi de ſingulis eccleſiæ membris aut doctoribus interpretari lubet, ſequetur eos omnino fidei myſteria habere explorata, omneſque religionis cõtrouerſias poſſe expedire: quo nihil adſurdius dici poteſt: ſin verò ſolummodò de coniuncto fidelium cætu & doctorum vniuerſorum conſenſu Chriſti verba exponere velis, vnde hanc ſententiam comprobabis? An ea ratione, quòd eadem Apoſtolorum ſucceſſioribus, quæ Apoſtolis conuenire debeat promiſſio? At, præterquam quòd ſecus iam antè demonſtraui id non aliunde clarius, quàm ex hoc loco, diluetur. Nam, ſi ita ſe res haberet, ſequeretur omninò neceſſariò, non ſolùm coniunctos & vniuerſos, ſed etiam ſingulos eccleſiæ doctores, omnem à Spiritu Sancto veritatem edoceri, & ab omni prorſus errore liberos eſſe ac tutos: quandoquidem

quidem Christus non minus singulis Apostolis, quàm coniunctis & vniuersis, liberalem hanc promissionem dedit, & reipsa comprobauit. Denique quamuis etiam concederetur, hanc generalem & communem esse promissionē, quæ vniuersæ ecclesiæ, seu Apostolorum successoribus non minus quàm Apostolis conueniret, inde tamen, quod contendis minimè obtineres. Quoniam Deus, diuersis modis & gradibus, omnē veritatem, per Spiritū Sanctū, docet. Apostoli enim, vno eodemque momento à Spiritu Sancto afflati, perfectè edocti & posteà perpetuò directi fuerunt: vt Sacræ literæ testantur. Contrà verò reliqui ordinarij eorum successores & ecclesiæ doctores veritatem omnem, à Spiritu Sancto, non vno momento, nec pari cum Apostolis, nec eadem semper mensura, percipiunt; sed certis tantùm gradibus, progressibus & temporum interuallis. Nam primùm Spiritus Sanctus plenissimè omnem veritatem docet exterius communicatione Sacrarum literarum (quibus nos alloquitur, & perfectam saluta-

salutaris veritatis doctrinam proponit) & interius, efficacia sua: qua paulatim & certa mensura, mentis oculos *illu*strat, & cordis duritié emollit, vt exterius oblatæ Sacrarum literarum veritati assentiamur & obediamus. Nam, quemadmodum Deus promiserat, se Israëlitas in promissam regionem Chananæam deducturum, sed certis tamen itineribus & successu temporis hoc perfecit; & iterum ad pœnam peccatorum, inde ad tempus in Chaldæam eiecit: ita *Deus* ecclesiam *in* veritatem, non vno momento, *nec eo*dem gradu semper deducit, *aut* in ea, pari perfectione, continet: vt omnium temporum experientia & miseranda ecclesię calamitas comprobauit. Quare ex hisce constat, hanc Christi ad Apostolos promissionem, indignè ad cõmunem ecclesiæ consensum, & multò indignius, ad summam illius & perpetuam in omnibus fidei mysterijs constantiam demonstrandam, detorqueri. Nec alterum, quod ex Pauli verbis deducis, argumentum, magis accommodatum est; quamuis id mirificè extollatis.

tis. Etenim ecclesiam rectè *columnam & firmamentum veritatis* dici nemo nostrum vnquam negauit, sed interpretationem vestram, & quam inde nectitis consequentiam, iure meritoque refutamus. Quoniam ecclesia non propterea columna & firmamentum veritatis appellatur, quòd fidei mysteria aut omnia, aut perfectius sacris literis, complectatur; aut, quòd veritatem primariò fulciat: sed partim, quòd Sacras literas seu *eloquia Dei* (vt Apostolus docet) *sibi concredita*, columnæ instar, appensa custodiat, & testimonio suo apud infirmos confirmet: partim quòd veritatis mysteria, quamuis non omnia quę Sacris literis continentur, ea tamen quæ ad salutem necessaria sunt, pro suo modulo fide complectatur ac doceat: quemadmodum pluribus de hac re, in principio controuersiæ de ecclesia, disseremus. Tertium denique quod ex Mattheo adducis testimonium, *Si ecclesiā non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, id, ab instituta quæstione, omninò alienum est. Primùm, quia Christus non de doctrina, sed de cen-

1.Tim.3.15.

Rom.3.2.

Matth.18.17

ſura morum agit. Deinde, quia non de vniuerſali, ſed de quauis particulari eccleſia, diſſerit: ac proptcrea ſi, vt ais, *ex eo ſequitur, hanc ſcripturā eſſe omnium ſcripturarum interpretem, omniū opinionum iudicem, omnium errorum expultricem, à cuius iudicio, ad alium iudicem nō liceat prouocare; imò cuius iudicium iudices omnes inſpicere & ſequi teneantur:* ſi, inquam, hæc vera ſunt, inde clariſſimè conſequetur, hoc ſummum in religione definienda iudicium, ad omnes & ſingulas eccleſias pertinere. Quod quàm abſurdum & iniquum ſit, non ſolùm acutiores & orthodoxi vident, ſed etiam *Pontificij* doctores nobiſcum teſtantur. Ac propterea, Coſtere, niſi firmioribus argumentis cauſam veſtram ſtabilire poſſis, patrocinium illius tibi deſerendum, vides, & veritati cedendum. Ac ſanè vel ipſa doctrinæ tuæ abſurditas (vt rationum infirmitatem præteream) cò te hortari debebat. Nam quid, obſecro, magis pietati in Deum aduerſatur, quàm à Sacris illius literis perfectionis & iudicij auctoritatem detrahere, & ad Eccleſiam, quæ hunc honorem perpe-
tuò

tuò recusauit, vtrumque transferre? Laudatur quidem à Deo Ecclesia, & *matris* nomine honoratur; sed non aliter, nisi quatenus ipsa Dei *patris* cælestis vocem, in Sacris literis patefactam, amplectitur & filijs vtriusque fideliter tradit. Itaque breuiter & eleganter (vt solet) Augustinus ait: *Est autem mater Ecclesia: & vbera eius duo testamenta scripturarum diuinarum. Hinc sugatur lac.* Et, nequis aliquid desiderari posse putet, *ex ijsdem* etiam *scripturis solidum hauriendum esse cibum*, eodem in loco, demonstrat; Quare quum eam fingas ecclesiam, quæ alijs & plenioribus, quàm vtriusque testamenti vberibus, suos nutriat alumnos, constat eam, non veram matrem esse, sed perniciosam nouercam, imò *Babylonem magnam matrem scortationum & abominationum terræ.* Ac propterea quum eos, qui à veris veræ matris ecclesiæ vberibus, Dei verbo, dependent, auellere, alioque traducere studeas, quantũ in ecclesia fidei mercaris, legitimi Dei & ecclesiæ filij facilè iudicabunt. Et vt magis conspicua sit indicij tui indignitas, hæc pauca è mul-

In epist. Ioh tractat. 31

Apoc. 17. 5.

Esa.8.20. tis Dei decreta opponimus, *Ad legem magis & ad testimonium: quod si non dixerint iuxta verbũ hoc non erit eis lux matutina: Sed etiamsi nos, aut angelus è cælo Euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizauimus* (hoc autem totum comprehensum est Sacris literis) *anathema esto: Quicunq; secundùm canonem hunc incedent, pax super eos & misericordia.* Huc accedit consensus ecclesiæ catholicæ, quæ Sacras literas canonicas & *canonem fidei* ac cultus Dei propterea appellauit & ad illarum iudicium controuersias in concilijs meritò dirimendas *iudicauit. Canon* enim, summus est recti & obliqui index ac iudex: ac propterea, quum Sacræ literæ sint fidei canon, ijs summum in religione iudicium iustè deferendum est. Quemadmodum piè & eleganter ait Chrysostomus; *Habemus exactissimam trutinam & gnomonem ac regulam, diuinarum, inquam, legum assertionem. Ideò & obsecro & oro omnes vos, vt relinquatis quidnam huic & illi videatur, deque his, à Scripturis, omnia inquirite:* & Augustinus; *Non afferamus stateras dolosas vbi appendamus quod volumus pro arbitrio*

Galat.1.8.
Act.26.22.
Galat.6.16.
In 2.Corin. Hom.13.
Contra Donatistas lib.2. cap.6.

trio nostro, dicentes, hoc graue est, hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram, de scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa, quid sit grauius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa, recognoscamus. Et alibi. *Neque enim sine causa tam salubri vigilantia canon ecclesiasticus constitutus est ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omninò iudicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium, iudicemus.* Quare quis non videat quàm absurde Sacrarum literarum iudicium declines? sic enim pergis.

Contra Cresconium lib. 2. cap. 31.

COSTERVS.

VNDE, quando in religione quæstio mouetur, de Christi diuinitate de sanctorum inuocatione, de cultu imaginum, similibusque rebus, de quibus scriptura diuina, in membrana relicta, quædam ad aliorum mentem dicere videtur; veluti, *Pater maior me est: De die autem illa neque filius nouit nisi solus pater: Dominus creauit me initio operum* (iuxta septuaginta interpretes:) *Non habebis Deos alienos coram me: non fa-*

cies tibi sculptile, &c. inspicienda atque peruolutanda sunt viua in corde ecclesiæ diuinitus impressa atque inusta monumenta, in quibus tanquam in clarissimis commentarijs ac certissimis explanationibus acquiescere debemus: nimirum, quid, de his quæstionibus, ecclesia, per orbem sparsa & nunc & hactenus ad Apostolorum vsque tempora longa serie deducta, crediderit atque seruauerit: & quo sensu scripturas in contrariam partem allatas, intellexerit.

GOMARVS.

VERISSIMVM illud esse comperio, quod ait Christus, *Omnis qui mala agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Nam, si causæ & religionis vestræ fideres veritati, non tantoperè sacrarum literarum lucem, veterum hæreticorum exemplo, declinares. Vt enim de sui temporis hæreticis ait Irenæus, *Quum ex scripturis arguuntur in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quia variè sint dicta & quia non possit ex his inueniri veritas, ab his*

Ioh. 3.20.

Lib. 3. cap 2.

qui

qui nesciant traditionem: ita de Pontificiorum doctoribus & huius loci sententia, meritò dici potest ac debet. Obijcis enim Sacris literis obscuritatem, ecclesiæ verò consensui & traditioni summam claritatem asscribis, ac propterea ad huius interpretationem & iudicium recurrendum & in eo acquiescendum mones. Sed neutrum iusta ratione comprobabis. Nam, vt de Sacris literis prius loquamur, quamuis in ijs quædam ad hæreticorum mentem dici videantur, nõ inde tamen sequitur, alium quærendum esse illustriorem & certiorem interpretẽ. Siquidem Sacræ literæ, vt cõstantis sunt veritatis, sic locorũ circumstantijs, & similibus ac clarioribus sententijs, seipsas quã optimè interpretantur. Demonstrauit id Christus exemplo suo: comprobarũt etiam Apostoli, qui passim in suis scriptis Sacras literas, non ex aliqua patrum traditione, sed ex illis ipsis, declararunt. Imò, idem etiam iudicio & consuetudine sua ecclesia antiqua & orthodoxi patres attestantur. *Quæ* (inquit Basilius magnus) *ambiguè & obscurè in nonnullis*

Matth. 4. 6. 7.

In regulis cõtractis regul. 267.

scripturæ locis dicta videntur, per ea, quæ alibi certa & indubitata habentur, declarantur.
In Ierem. Hom. 1. Et Origenes; *Quapropter necesse est nobis scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri & enarrationes, sine ijs*
De Trinitate. lib. 1. *testibus non habent fidem.* Et Hilarius, *Optimus enim lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet ex dictis potius, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum. Quum itaque de rebus Dei erit sermo, concedamus cognitionem sui, Deo; dictisque eius, pia veneratione, famulemur.* Similia patrum iudicia (quæ breuitatis causa sileo) sunt quàm plurima: eaque, reipsa & consuetudine sua, confirmarunt. Quoniam genuinum Sacrarum literarum sensum, ex ijsdem fontibus hauserunt, &, aduersus hæreticorum corruptelas, tutati sunt. Quod non solùm ex eorum commentarijs & disputationibus constat, sed etiam vel ex hisce locis, quos adducis perspicuè apparet. Nam, quum Ariani Christi diuinitatem & æqualitatem cum Patre, quam orthodoxi statuebant, oppugnarent eo dicto, quo
Christus

Christus ait; *Pater maior me est:* cōtrà Patres orthodoxi, ex ipsis Sacris literis, solidam refutationem petiuerunt, & petendam docuerunt. Quemadmodum Cyrillus (quo, vt existimo, nullus Thesaur lib. cap. 3. veterum doctius, Arianos confutauit) ait; *Probè facerent hæretici omnes, si vndique studerent verum Scripturarum sensum venari, nec ad voluntatem suam omnia vertere atque inde syllogismos connectere. Si enim offendit eos, quòd Pater maior Filio scribitur, iuuet illud quoque, quòd de Filio dicitur; Qui quum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo:* Phil. 2. *& Iohannes apertissimè; Patrem inquit, suum* Ioh. 5. 18. *Deum dicebat, æqualem seipsum faciens Deo.* Et posteà, *Certè hic* (Phil. 2.) *ipse Paulus, & æqualem Deo filium apertissimè, dixit, & minorem esse, propter passionem mortis, enunciauit.* Sic alibi eandem sen- Comment. in Ioh. lib. 10. cap. 9. tentiam similiter declarat ex Sacris literis, *Christum patre minorem, secundùm humanam naturam, & humiliationis statum, non autem secundùm Deitatem;* idque probat, ex ijs Scripturæ locis, quibus adoratio, & idem cum Patre Spiritus, ei attribuitur, & in Patre esse dicitur, ac

 deni-

denique verus Deus & vita æterna nominatur. Ac tandem aduersus hæreticorum errores concludens, Sacrarum literarum præstantiam & perfectionem, hisce verbis, ostendit; *Nam si è Sacris literis id non acceperunt, confundantur, proprias in fidem sententias afferentes.*
Marc. 13. 32. Deinde ad alterum locum, *De die autem illa neque filius nouit, nisi solus Pater,* Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Filio, & ante eum Athanasius sermone 4. contra Arianos, Filio ignorantiam tribui non absolutè, sed tantùm ratione humanæ naturæ, *petita ex Sacris literis* interpretatione, exponunt. Denique ad tertium quod attinet locum, quem nobis obijcis, *Dominus creauit me initio operum suorum*, iuxta septuaginta interpretes, si patres ipsos audimus, non aliunde, quàm ex eadem Scriptura, interpretationem veram, & hæreticorum confutationem,
De Synodis aduersus Arianos, cap. 5. hauserunt. Nam primùm Hilarius ex consequentibus Salomonis verbis, docet, sapientiam *genitam* dici; deinde
*Côtra Eunomium lib. 2. † Comment. ad Ephes. 2. * Basilius & † Hieronymus respondent ex Hebræo contextu & accuratioribus

inter-

interpretibus legendum esse non ἔκτισε *creauit: sed* ἐκτήσατο *possedit*. Nec dubitandum est quin ἔκτησε in ἔκτισε, librariorum vitio, peruersum. Denique quod clara & perspicua decalogi præcepta, *Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile, &c.* sæpissime à Mose & Prophetis iterata & explicata, ijs locis annumeras, quæ, propter obscuritatem, ad hæreticorum mentem, dicta videntur: id omninò causæ vestræ infirmitatem & deploratam idololatriam demonstrat. Quamobrem etiam ex hisce apparet, Sacras literas optimum esse sui interpretem. Quibus accedit Clementis Papæ consensus, qui *ex ipsis Scripturis sensum veritatis capiendum, & ex diuinis scripturis integram & firmam regulam veritatis petendam*, affirmauit: & Leonis Papæ sententia, quæ *in rebus obscuris ad veritatem cognoscendam ad Propheticas voces ad Apostolicas literas, ad Euangelicas auctoritates, recurrendum* docet. Quam piam & grauem sententiam, si vt debebas, amplecteretis non tam indignè Sacrarum literarum interpretaionem, postposita Scriptura, ex iu-

Concil. tom. 1. Clem. ep. 5.

Epist. 10. ad Flauianum.

ex iudicio ecclesiæ potissimùm depromendam iudicares. *Inspicienda* (inquis) *atque prouolutanda sunt viua in corde ecclesiæ diuinitus impressa monumenta:* sed qua
1.Sam.16.7. ratione id fieri potest? *Homines enim externam faciem contemplantur, solus Deus corda intuetur.* Itaque quod fundamenti loco substernis, id & naturæ & scripturæ omninò aduersatur. Dices fortasse, abdita quidem hominibus esse cordiũ penetralia, sed ea patefieri nobis sermone & scripto tanquam duobus præcipuis animi nuntijs: sed quid illud ad rem faceret? neutrum enim scriptura illa interna est, quam fingis, & de qua inter nos existit controuersia. Deinde neutrum etiam certum est (si Prophetas & Apostolos exceperis) eius quod à Deo menti inscriptum est, indicium. Nam quum regeneratio ecclesiæ in huius vitæ curriculo sit im-
Gal.5.17. perfecta, & *caro spiritui reluctetur:* os verò & manus sint communia vtriusque instrumenta (quæ prout alterutrum interdum eminet, ita eidem inseruiunt) quomodo certò nobis constabit, vtrum Spiritus, an carnis sententiam

tentiam proponant? Quapropter, in hac etiam re certior quærenda est interpretationis scripturæ & Spiritus diuini regula, Sacræ nimirum literæ: quas citra vllam controuersiam à Deo prodijsse, & iussu illius fideliter conscriptas, constat. Vnde Apostolus Paulus ait, *Omnia probate; quod bonum est tenete:* & Iohannes; *Ne cuiuis Spiritui credite, sed probate Spiritus, an ex Deo sint:* & Christus *scrutamini scripturas: quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testantur de me.* Nam quod Bellarminus Iesuita de verbo Dei lib. 1. cap. 2. aduersus scripturarum contemptores ait, *Moses, Prophetæ, Christus ipse, Iohannes Baptista, Apostoli, vel diuina dogmata ex Scripturis ipsi confirmabãt, vel certè ad scripturas legendas alios hortabantur, nec vllum unquã ad interni Spiritus iudicium, scripturis neglectis, remiserũt, &c.* id, non solùm de singulis, sed etiam de communibus iudicijs, meritò dici potest. Præterea, quũ de vera Christi Ecclesia, vbinam ea sit, grauissima vigeat dissensio, prius de illa re, ex diligenti Sacrarum literarum examine, tanquam funda-

1. Thess. 5. 21.
1. Ioh. 4. 1.
Ioh. 5. 39.

fundamento, certi esse debemus, priusquam ecclesiæ iudicium, sine errore aut sine dubitatione graui, audire possimus. Ac propterea, vera Sacrarum literarum interpretatio, non ab Ecclesiæ iudicio; sed ecclesiæ iudicium, à scriptura, dependet. Si exceperis, veram huius temporis ecclesiam ex antiquæ ecclesiæ & orthodoxorum patrum comparatione & consensu elucere, eadem manebit difficultas. Nam quum varij ab initiò & magno numero fuerint hæretici, quæretur perpetuò, *quibus* argumentis orthodoxi *patres, ab* hostibus veritatis, di*gnosci possint?* Ac tandem ad Sacras literas, veræ religionis canonem, velis, nolis, erit recurrendum. Deinde, vt de patribus orthodoxis minimè dubitemus, quum diuersos singuli ferè habuerint næuos, & inter sese, ac secum, non rarò dissenserint, quibus indicijs consensum orthodoxum aliunde rectè, quàm ex certo Sacrarum literarum canone, cognoscemus? Quod adeò clarum est, vt id summi vestri doctores, infinitis ferè exemplis, demonstrent. Etenim occur-

rant

rant diuersæ apud patres loci alicuius interpretationes, non patrum antiquitatem, non numerum spectant: sed rem ipsam ad Sacras literas appendentes, dijudicant, & paucorũ sententiam plurium iudicio, tanquã Sacris literis cõuenientiorem, sæpe anteponũt. Videatur vel sola orationis Dominicæ, vel vnius scripturæ capitis expositio, & verissimum esse constabit. Eandem rationem ipsi patres obseruarunt: quemadmodum Hieronymus Augustinum à reliquis patribus in explicatione Psalmorum diuersa sentire ait (epist. Aug. 11.) & eandem libertatem alibi sibi tribuit. Sic enim loquitur (epist. lib. 3. ad Minerium & Alexandrum) *Nec iuxta Pythagoræ discipulos præiudicata doctoris opinio: sed doctrinæ ratio ponderanda est: si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum*, (Patrum) *explanationes legam quorum dogmatibus nõ acquiesco? sciat, me illud Apostoli libenter audire; Omnia probate: quod bonum est tenete, &c.* Et præfatione in Oseam, post quam eos patres, qui in Oseam scripserant, recensuit, addit; *Quos tamen non in omnibus*

sum

ſum ſecutus, vt iudex potius operis eorum, quàm interpres exiſterem. Et Auguſtinus libro de natura & gratia, contra Pelagianos ait, *ſe in huiuſmodi quorumlibet hominum ſcriptis liberum* : & addit; *quia ſolis canonicis debeo ſine vlla recuſatione aſſenſum.* Et epiſt. 111. ad Fortunatianum : *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut ſcripturas canonicas habere debemus : vt nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi fortè inuenerimus, quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum.* Deniq; huc accedit conſenſus Bellarmini De concilijs lib. 2. cap. 12. *Scripta patrum non ſunt regulæ, nec habent auctoritatem obligandi.* Præterea quum immenſa ſint orthodoxorum patrum volumina, & Græco aut Latino ſermone conſcripta, quo modo maxima eccleſiæ & totius orbis multitudo, quæ harum linguarum imperita eſt, & ſi perita eſſet, omnia examinan-

minandi & intelligendi, imò legendi facultate destitueretur: quomodo, inquam, de patrum omnium consensu certò cognoscet? Nam quod ait Hieronymus præfatione in Ionam; *Scio veteres ecclesiasticos, tam Græcos, quàm Latinos super hoc libro multa dixisse, & tantis quæstionibus, non tam aperuisse quàm obscurasse sententias, vt ipsa interpretatio eorum, opus habeat interpretatione, & multò incertior lector recedat, quàm fuerat antequam legerat:* id, inquã, meritò de reliquis quoque non paucis dici potest? Deniq. si ad huius temporis ecclesiæ catholicæ iudiciũ, in omnibus rebus dubijs, confugiendum est; quomodo id fieri potest? quum ecclesia, per orbẽ diffusa, rarissimè, imò nunquam, ne in generalibus quidẽ synodis, millesima sui parte conueniat, & paucissima in concilijs definiat ac declaret: multa etiam ob difficultatem in medio implicata relinquat, vt vel ex concilij Tridentini vestri historia cognosci potest. Vides itaque, Costere, sermonis tui absurditatem, quantisque difficultatibus te inuoluas, quemadmodum in controuersia de

S Ponti-

Pontifice non obscurè agnoscis; *Penes* (inquis) *ecclesiam catholicam est iudicium veritatis, sed quod ea per vastum orbem diffusa, sine grauissimis incommodis vnum in locum coire nequeat, &, pro re nata, quæstiones difficiles non rarò exoriantur, necessum erat, maiori compendio, Christianorum commodis fideíque integritati, prospicere.* Hoc autem compendium, Pontificem definis: quem, certum & summum omnium controuersiarum iudicem, à Deo constitutum, affirmas; Quod, quantoperè pietati & experientiæ repugnet, in arguméto de Pontifice, ostendemus.

Capvt III.

Quare ex hisce liquet consensum ecclesiæ non esse primum, quem fingis, scripturæ modum, eoque multò minus Sacris Apostolorum literis præstantiorem: quemadmodum vtrumque insigni in Deum contumelia frustra studuisti demonstrare. Nec sanctius tertium scripturæ genus definis, vt ex sequentibus elucebit.

COSTERVS.

TERTII generis ſcriptura eſt in decretis conciliorum generalium, quæ Chriſtus grauiſſimo ſuo teſtimonio & auctoritate communiuit; *Qui vos audit, me audit:* &; *ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus:* &; *Ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.*

Decreta Cõciliorum.

Luc 10.16. Matth.18.17. Matth.28,20.

GOMARVS.

MAGNA & illuſtris eſt conciliorum, quæ ad verbi diuini normam inſtituta ſunt dignitas; ſed tamen longè minor, quàm à te ſtatuitur. Quod vt diſtinctius & clarius oſtendatur obſeruandum eſt, concilia quædam eſſe particularia, quæ à vero aberrare poſſe, frequenti experientia & communi Pontificiorum aſſenſu, conſtát: alia verò eſſe vniuerſalia, de quibus grauis eſt orthodoxis cum Pontificijs controuerſia. Quæritur enim, an ea ſint certa fidei Chriſtianæ norma; & diuinis ſcripturis accenſenda? Coſterus affirmat nos

verò id meritò pernegamus, vt ex rationum, quas aduersarius adducit, leuitate, apparebit. Tria enim illa, quibus confidit, testimonia, prorsus inepta, & à re proposita adeò aliena sunt, vt, nisi trita & communia essent omnibus Pontificijs doctoribus argumenta, præuaricari & in re seria ludere videretur. Nam, vt ea ordine perlustremus ac perpendamus, verùm est Christum dixisse; *Qui vos audit, me audit:* sed quid inde concludis? Nam, vt aliquid ex hoc loco, consequaris, probandum tibi esset primùm, *Christum alloqui* concilium: deinde non particulare, sed generale tantùm: præterea promissionem hanc esse absolutã & perpetuam: ad hæc communem nòn vni concilio generali, sed omnibus: deinde agere de decretis, ijsque & omnibus, & scriptis. Adeò vt, si quid ex hisce desideretur, nihil obtineas: quoniam hæc omnia in quæstione versantur & probanda suscepisti, quemadmodum ex verbis tuis antecedentibus & sequentibus constat. At verò nihil istorum cum Christi sententia consentit. Nam primùm

primùm hæc promissio non ad concilium vllum, sed ad septuaginta discipulos: deinde, non magis ad generale, quàm ad particulare concilium, imò quàm ad binos aut singulos episcopos, pertinet. Quandoquidem Christus hanc promissionem, non coniunctis solùm hisce discipulis, sed binis dedit. Luc. 10. 1.
Tertiò promissio hæc, quatenus hoc loco intelligitur, non fuit absoluta & perpetua, sed temporaria, & ad legationem illam accommodata. Quartò, quum legatio fuerit singularis & miraculis obsignata, ineptè omninò sanctio illius, ad ordinarium & commune ecclesiæ ministerium, extenditur: nisi ex alijs locis idem probari possit. Quintò, hæc promissio nullam contra, aut extra Sacras literas (quod Pontifici & concilijs attribuunt) conficiendi decreta, facultatem concedit (tantùm abest, vt ea omnia stabiliat) sed ad verba à Christo accepta, fideliter proponenda, astringit. Quemadmodum etiam, quamuis Apostoli perpetuò à S. Sancto immediatè in doctrina directi sint, nullam tamen, noua de religione decreta Luc. 10. 17. Luc. 10, 5, 9, 11.

conficiendi, poteſtatem acceperunt; ſed ad Chriſti verba fideliter tradenda fuerunt delegati. Nam quod Chriſtus
Matth. 28. 19. ait; *Docete omnes gentes*, poſtea explicat, *docentes eos ſeruare omnia, quæ cunque mandaui vobis:* quemadmodum etiam doctiores veſtri ſcriptores agnouerunt. Nam Iohannes Ferus commentarijs ſuis in Matth. 23 ait, *Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus dixit, Qui vos audit me audit & qui ſpernit, me ſpernit.* Item. *Qui non receperint vos, tolerabilius erit terræ Sodomorum, &c. Verùm præmiſit Mattheus, quòd Chriſtus elegit duodecim quos & vocauit Apoſtolos, quibus & præcepit prædicare Euangelium in vniuerſo mundo, &c. è quibus patet audiendos eſſe Apoſtolos, ſed quatenus Apoſtoli ſunt, hoc eſt, Chriſti negotium agunt, ac quæ Chriſtus iuſſit prædicant ac docent. Quòd ſi alia docet, & Chriſto cõtraria, iam Apoſtoli non ſunt, ſed ſeductores, ideò nec audiendi.* Ac ſanè eatenus, non ſolùm conciliorum canones, ſed etiam ſingulorum eccleſiæ paſtorum, dicta audienda ſunt, quatenus ab ijs Chriſti verba audiuntur & bona fide traduntur. Denique quum Chriſtus ait, *Qui*

vos

vos audit, me audit, non de vlla ſcriptura, ſed de prædicatione Euangelij apertiſſimè loquitur, vt ex omnibus circumſtantijs demonſtrari poteſt. Nec enim hoſce ſeptuaginta diſcipulos, quos compellat, ad decreta ſtatuenda & conſcribenda coniunctim deſtinauit; ſed diſtinctè binos, ad regni ſui aduentum ſermone tantùm annuntiandum, præmiſit, pro temporis illius ratione: quod ad Noui Teſtamenti ſcripturam (nondum miſſo Spiritu Sancto) erat omninò importunum. Itaque quis non animaduertat quàm turpiter huius loci ſententiam peruertas, quum eum, ad conciliorum generalium auctoritatem & tertium ſcripturæ genus confirmandum detorques. Alterum etiam quod producis teſtimonium; *Si eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, non minus alienum eſt. Quod, quamuis ex ijs, quæ ante à nobis explicata ſunt, ſatis liqueat, tamen vt clarius ſcripturæ maieſtas, ſententiæ tuæ in decretis conciliorum ſcripturæ æquandis iniquitas, & turpis huius loci abuſus, demonſtretur, diſtinctius & pluri-

bus agemus. Nam primum ecclesia, hoc in loco, non concilia generalia denotat, sed eos qui ecclesijs particularibus præsunt, quemadmodum res ipsa euincit. De ea enim ecclesia dissent Christus, quæ in fratrum correctione ab ijs qui priuatim sunt offensi, adiri potest ac debet. Quòd concilijs generalibus minimè conuenire certissimum est. Deinde idem attestantur in explicatione huius loci veteres patres, Chrysostomus, Gregorius magnus, & Theophylactus: ac propterea vulgò doctissimi Pontificij idem agnoscunt quum ecclesiæ vocem etiam angustius & iniquius exponunt *prælatum ecclesiæ*: quemadmodum ex Alberto magno & Lyrano in commentarijs ad eum locum & ex Thoma Aquinate apparet. Ex quo perspicuè sententia tua euertitur. Nam prælatus ecclesiæ nec conciliũ est, nec ab errore liber: eoque dicta & scripta illius, vt ad concilia generalia propriè non pertinent, sic nullam fidei normam, nec tertium Sacræ scripturæ genus constituunt. Huc accedit, quòd hoc Christi dictum non agit de decre-

Math. 18, 15, 16, 17.

In Math. 18.
Epist lib. 12. Epist. 31.
Comment. in Math. 18.

Summæ 2. 2. qu 33, art. 8.

decretis vllis, aut aliqua ſcriptura; ſed de eccleſiaſtica reprehenſione & adhortatione, qua illi, qui in fratres ſuos iniurij ſunt, ad culpæ agnitionem & pacem Chriſtianam excitantur. Cui adhortationi ſi obedire contumaces detrectent, Ethnicorum inſtar habendos eſſe, Chriſtus docet. Adhæc, non abſolutè obedientiam Chriſtus hoc in loco exigit, ſed quatenus eccleſia rectè edocta, rectè iudicat. Nam & aduerſarius falſis teſtibus innocentem accuſare, & qui eccleſiæ præſunt, aut errore, aut affectu aliquo humano, perperam interdum arguere poſſunt. Itaque audiendi ſunt non abſolutè, ſed in rectis ſententijs, quatenus re probè cognita, in iudicijs ſuis Dei verbum audiunt & tanquam normam ſequuntur. Quod prudenter & piè obſeruauit angelicus (vt vocatis) doctor & ſanctus veſter Thomas Aquinas, *Prælato*, inquit, *non eſt obediendum contra præceptum Domini ſecundum illud Actor. 5. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus, &c. unde, ſi prelatus expreſſè præciperet contra hunc ordinẽ à Domino inſtitutũ, & ipſe pecca-* Summæ 2.2. qu.33.art.7.

ret præcipiens, & ei obediens, quasi cõtra præceptum Domini agens. Vnde non esset ei obediendum. Et grauiter etiam ait Hieronymus; *Quodcunque ligaueris super terrã, &c. Istum locum episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: quum apud Deum, non sententia sacerdotum, sed reorum vita, quæratur.* Denique, etiamsi ecclesiæ nomine (quod falsum esse ostendimus) concilia generalia essent intelligenda, tamen, quum certum sit, hîc non de alijs agi, quàm de iudicijs *facti, in quibus* (vt aiunt summi doctores vestri) *concilia generalia errare posse non est dubium:* sequitur omnino nullam hîc Sacræ scripturæ genus aut absolutam obedientiæ normam posse stabiliri. Atque eadem denique est tertij, quod adiungis testimonij ratio; *Ego vobiscum sum vsq; ad consumationẽ seculi.* Nam Christus, hoc in loco, non agit proprie de concilijs, nec potius de generalibus quàm particularibus, sed de Apostolis singulis, & eorum ministerio successoribus & fidelibus: seruatis tamen donorum

In Matth. 16.

Bellar. de Concil. lib. 2. ca. 8.

gradi-

gradibus & mensura: quemadmodum ex orationis filo & similibus sententijs, quibus Christus præsentiam & auxilium suum pollicetur ostendi potest; *Vbi enim sunt duo vel tres coacti in nomine meo illic sum in medio eorum: Oues meæ vocem meam audiunt, , & ego eas cognosco, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis: nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam è manu mea.* Quam genuinam explicationem orthodoxorum patrum consensus adducit ac probat. Ac primum Augustinus ait, *Omnibus enim dicebat, quos suos futuros videbat, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi:* Deinde Chrysostomus; *Quum dicitur, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi, non ad eos tantummodo loquitur, sed per eos ad vniuersum prorsus orbem.* Et alibi. *Quod enim non solùm istis promiserit, sed & illis qui vestigia ipsorum subsequuntur ex eo liquet quod dicat, vsque ad consummationem seculi. Quid ergo ad eos dicit, qui doctores non sunt? Quisque vestrum, si volet doctor est; & si non alterius, tamen sui ipsius.* Idem testatur: *Theophylactus, †Basilius, ‡Saluianus.

Quare,

Math. 18. 20.

Ioh. 10, 27. 28, 29.

De Genesi ad litteram lib. 6. cap. 8.

In Math. Hom. 15.

In 2. Thes. 2. 3 Homilia 5.

* In Matt. 28.
† Sermone de pœnit.
‡ De Prouidentia Dei lib. 2.

Quare, quum hæc promissio ad omnes & singulos Apostolos eorumque successores & pios, suo modo & gradu pertineat, nullum inde nouum *scripturæ* sacræ genus sancitur: alioqui singulorum episcoporum & fidelium de religione sententiæ, essent sacræ literæ & norma fidei: quod non solùm rei veritati, sed etiam communi aduersariorum doctrinæ repugnat. Ac propterea ex hisce omnibus apparet, conciliorum decreta non esse inter canonicas scripturas numeranda: quod adeo *perspicuum* est, vt id etiam Bellar*minus Iesuita* agnoscere sit coactus, & sententiam tuam apertissimè refellat, De concilijs. lib. 2. cap. 12.

CAPVT IV.

Vnde reliqua, quæ de conciliorum auctoritate proponis, facilius conuellentur.

COSTERVS.

QVÆ sanè decreta, si veritatem, si obsignationem Spiritus Sancti, si præsentiam Christi spectes, idem habent pondus quod sancta

Dei

Dei Euangelia: sicut & B.Gregorius pluribus locis fatetur: & B.Theodosius (apud* Nicephorũ) magnæ sanctitatis archimandrita ante ipsum, publicè cõscenso suggestu ausus est dicere; *Si quis quatuor synodos quatuor Euangelijs non exæquet, anathema.* Quod idem Apostoli præ se ferre videntur, quum ex primo suo concilio Hierosolomitano ita scribunt; *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Si autem verba ipsa decretorum consideres nullo modo sunt cum Sacris literis conferenda. Quum hæ dictatæ à Spiritu Sancto, nec iota vnum vel vnum apicem habeant, cui non insit suum pondus & efficacitas: vnde tanquam diuina eloquia mentem hominis admirabili dulcedine & suauitate afficiunt, sicut, toto Psalmo 118, B.Dauid Propheta docet. Conciliorum verò decreta à Sanctis Patribus conscripta fuerunt, qui suis verbis veritatem diuinam nobis loquuntur: non aliter atque scriptor, qui regis voluntatem suo stylo literis mandat. Atque hinc rectè dixit B.Augustinus, se nullius hominis libri tantùm deferre atque diuinis literis;

Lib. 1. Ep. 24. Lib. 2. Ep. 10. Lib. 3. Ep. 33. Lib. 5. Epist. 2. * Lib. 16. c. 35.

Actor. 15. 28.

Epist. 19.

non

non quidem ob veritatem, quæ par est in vtrisque, sed ob verba & phrasim dictantis, qui fuit Spiritus Sanctus.

GOMARVS.

SANE, si decreta conciliorum generaliũ essent scriptura diuina, eadẽm cum reliquis Sacris literis auctoritate pollerent, sed, quia secus antè demonstraui, magna est in Deum iniuria, quod ea, *si veritatem, obsignationem Spiritus Sancti, & præsentiam Christi spectemus, idem habere pondus, quod Sancta Dei Euangelia*, affirmare non vereris. Quòd verò illud, omisso Dei verbo, humanis Gregorij & Theodosij testimonijs probare niteris, doctrinæ vestræ infirmitatem apertè prodis. Siquidem, vt idem

In Iob.lib.18. cap.14. ait Gregorius; *Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est vt causarum origines è sacris paginis sumat: vt omne quod loquitur ad diuinæ auctoritatis fundamentum reuocet, atque in eo ædificium locutionis suæ firmet. Vt enim prædiximus, sæpe hæretici dum sua student peruersa astruere, ea proferunt, quæ profectò in Sacrorum librorum paginis non tenentur.* Quamobrem ab huma-

humanis literis ad diuinas prouocamus. *Alia quippe* (vt ait Augustinus) *non habent ad has res vllum pondus auctoritatis.* Quippe *nec parentum nec maiorum error sequendus est, sed auctoritas scripturarum & Dei docentis imperium:* vt rectè monuit Hieronymus. Qui propterea Heluidio patrum testimonia obiectanti pie respondit, *Nugas serimus & fonte veritatis omisso opinionum riuulos consectamur.* Quare si quid Gregorij & Theodosij testimonium valere cupis, illud prius ex Sacrarum literarum fontibus probari oportet. Deinde verò quamuis hæc, quæ obiectas, verba (quæ generatim accepta, non à nobis solùm, sed etiam à Iesuitis doctioribus refutantur) largiremur, tuam tamen, de conciliorum decretis, sententiam minimè confirmarent. Nec enim absolutè, de omnibus omnium conciliorum decretis, loquuntur, (de qua re inter nos quæstio est) sed de certis tantùm, ijs videlicet, quæ ad Sacrarum literarum normam, contra Arij, Macedonij, Nestorij, & Eutychetis errores, quatuor illis concilijs, definita sunt. Nam quartum concilium,

Contra Faustum Manichæum lib. 23 cap. 9.

In Ierem. 9.

Contra Heluidium.

Bellarm de Concil. lib. 2. cap. 12.

cilium, nimirum Chalcedonense, adeò Gregor. Epist. lib. 4. Epi. 80. & 83. & lib. 6. Epist. 188. & lib. 7. Epi. 30. errasse scribit Gregorius, vt Leoni Romano tribuerit *vniuersalis Episcopi* titulum: quem titulum, *prophanum ac scelestum fideique perniciosum*, appellat. Præterea si idem cum Sanctis Dei Euangelijs, conciliorum illorum decreta haberent pondus, Cócil. Nicen. Can. 3. Catechumeni lapsi tres annos à communibus ecclesiæ precibus essent excludendi: Can. 20. nec die Dominica, nec in Pentecoste genua ad Deum orandum vlli fidelium essent inflectenda, ex concilij Niceni decretis: quæ tamen, vt alia multa, communi vsu abrogastis. Deinde non solùm superbè, sed Leo. Epist. 51. & 53. etiam impiè fecissent legati Leonis Pontificis & ipse Leo, quod quarti concilij decreto pertinacius reluctati fuerunt: in qua tamen re sanctè eos fecisse, vulgo iudicatis. Denique hoc certum est, nec Leonem, nec legatos illius, parem concilij & Euangelij veritatem (quam tu definis) agnouisse: alioqui nó tam apertè ei sese opposuissent. Atque idem etiam iusta Leonis solicitudo confirmat. Nam quemadmodum Concilium Ephesinum secundum, quod

quod Sanctam synodum initio appellaret, postea euentu comperto, *non posse vocari concilium, quòd in euersionem fidei fuerit agitatum*, asseruit: sic postquam iam indictum esset Chalcedonense concilium vniuersale, metuens ne & illud, in decretis suis, vt Ephesinum, à vero aberraret, sic eodem in lòco imperatorem alloquitur; *Vnde, per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui regni vestri est auctor & rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, ut in præsente synodo fidem, quam beati patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini, quasi dubiam, retractari, & quæ olim à maiorũ sunt auctoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari.* Ex quibus apparet Leonem Papam statuisse, primùm, concilia generalia, non esse certam veritatis normam; sed contra, veritatem fidei, esse Sanctorum conciliorum generalium certam regulam: deinde, concilia generalia errare posse & interdum errasse. Verùm omissis patrum testimonijs Sacras literas citas; sed vt soles timidè & ineptè. Ais enim, *Quod idem Apostoli præ se ferre videntur,*

Epist. 14. ad Côcil. Ephes.
Epist. 41. ad Martianum.

T *quum*

quum ex primo suo concilio Hierosolymitano in literis synodalibus ita scribunt, Visum est Spiritui Sancto & nobis: Verũ id nec præ se ferũt Apostoli, nec præ se ferre videtur. Quoniã alia est concilij cui præfuerunt Apostoli, alia cęterorum ratio. Apostoli enim hoc priuilegio donati erãt singuli, vt in doctrina errare non possent, quod perpetuo Spiritus Sancti regimine in omnem veritatem deducerentur: vnde *fundamẽta ecclesiæ* diuinitus appellantur. Quamobrem, quæ de suis decretis peculiariter testati sunt, ea malè ad omnia cõcilia generalia extendis. *Deinde*, concilium illud Apostolorũ (vt etiam sapientiores vestri scriptores fatentur) nõ fuit generale sed particulare ecclesię Hierosolymitanæ. Nam vnde quæso probabis (quod ad vniuersale cõcilium requiritur) ad illud, omnium reliquarum ecclesiarum episcopos, fuisse inuitatos? Itaque eodem iure elogium illud ad particularia (quæ tamen errare posse constat) atque ad vniuersalia concilia, accõmodari deberet: ac propterea nihil ad rem facit. Contra verò conciliorum generalium decreta, non habere

Iohan. 16. 13. Actor. 2. 4. Apoc. 21. 14. Ephes. 20. 20.

Dominicus Bannes in 2. 2 Thomæ qu. 1. art. 10.

Leo Papa 1. Epist. 47.

bere parem vbique, cum sanctis Dei Euangelijs, veritatem, multis grauissimis rationibus probari potest: e quibus pauca seligemus. Nam quum decreta alia sint de moribus, alia de fide, in vtrisque concilia errare posse & errasse, Euangelia verò sibi semper constare, apparet. Quod perspicuitatis & breuitatis causa ex aduersariorum confessione & reipsa demonstrabo. Nam ad mores quod attinet, Iesuitarum celeberrimus Bellarminus describens discrimina, quibus Sacras literas concilijs præstare docet, sic Costero apertè cõtra dicit; *Tertium est quod in scriptura nullus potest esse error, siue agatur de fide, siue de moribus, & siue affirmetur aliquid generale & toti ecclesiæ commune, siue aliquid particulare & ad vnum tantùm hominem pertinens, &c. At concilia in iudicijs particularibus errare possunt, nec non in præceptis morum, quæ non toti ecclesiæ, sed vni tantùm, aut alteri populo proponuntur.* Deinde in fidei decretis concilia vniuersalia errare posse tribus modis Bellarminus experientia victus confitetur, *primò vt patres consentiant & definiant dissentientibus legatis Papæ. 2. vt*

De Concilijs lib. 2. cap. 12.

Ibid. cap. 13.

definiant; consentientibus legatis, sed contra instructionem Pontificis agentibus. 3. Consentientibus omnibus legatis habentibus & sequentibus Papæ instructionem. Quæ sigillatim conciliorum exemplis probat. Quare non est cur prolixam eius rei demonstrationem à nobis desideres. Prætereà quum concilia generalia sibi mutuò sæpius aduersentur non perpetuò vera sunt, multò minus Euangeliis conferenda. Nam Constantinopolitanum concilium, sub Constantino Copronymo, imaginum cultum meritò damnauit; Nicenum secundum probauit: Francofurtense sub Carolo Magno, aduersus concilium illud Nicenum, imaginum cultum iterum damnauit. Quam decretorum dissensionem falsò quosdam Pontificios Doctores tollere studuisse, Bellarminus demonstrat. Sic concilium Constantiense & Basileense, Papam fieri posse, & interdum fuisse, hæreticum; concilia verò vniuersalia errare non posse eisque & Papam subesse debere, decreuerunt: contrarium verò concilium Lateranense definiuit. Denique, quum Dei verbo

De Concil. lib. 2. cap. 8.

verbo *nihil addi, nihil detrahi, †ne ab Apostolis quidem aut angelis cælestibus liceat: quomodo concilia parem cum Euangelio (si veritatem spectemus) habebunt auctoritatem, quum eorum decreta à posterioribus concilijs interdum mutari & emendari constet? Hoc enim experientia euincit & celebris ac memorabilis illa Augustini sententia testatur, *Quis autem nesciat Sanctam scripturam canonicã tam Veteris quàm Noui Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum literis ita præponi, vt de illa omninò dubitari & disceptari non possit, vtrum verum vel rectum sit quidquid in ea scriptum esse constiterit: episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum episcoporum grauiorem auctoritatem, doctiorumque prudentiam, & per concilia, licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est. Et ipsa concilia, quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritate, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagi-*

*Deut. 4. 2.
† Gal. 1. 8.

De Baptismo cõtra Donat. lib. 2. cap. 3.

bus cedere: ipsaque plenaria sæpe priora, posterioribus emendari, quum, aliquo experimento rerum, aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat: sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica cum charitate Christiana. Nam quod ais; Epist. 19. *Hinc rectè dixit B. Augustinus se nullius hominis libris tantum deferre atque diuinis literis: non quidem ob veritatem, quæ par est in vtrisque, sed ob verba & phrasin dictantis; qui fuit Spiritus Sanctus:* id inquam, miserum omninò effugium est. Nam Augustini locus adeò pro nobis facit, vt vix quidquam apertius, ad sententiam tua euertendam, adferre potuisses. Hæc enim sunt verba, *Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre vt nullam eorum authorē scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam.*

bigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Illudne est, Costere, humanis & diuinis libris parem veritatem asscribere? Profectò nisi hic locus adeò tritus esset ac perspicuus, & decreto Pontificio insertus & approbatus, te memoria lapsum existimarem: sed nunc quum nulla esse possit ignorantiæ suspicio, tuam in patrum sententiis apertè detorquendis audaciam satis demirari non possum. Præsertim quum similes eius generis in eadem epistola extent sententiæ, vt quod ait, *Sanctam scripturam in summo & cælesti auctoritatis culmine collocatam*: Item, quum Hieronymus patrum testimoniis aduersus Augustinum disputaret & ad ea prouocaret ait, *Flagitas à me aliquem saltem vnum ostendam, cuius in hac re sententiam sim secutus, quum tu tam plures nominatim nominaueris, qui te, in eo quod astruis, præcesserunt.* Vides, Costere, Hieronymum imprudentem idem postulasse, quod tu

Dist 9. Can. Ego.

orthodoxis perpetuò obijcis, audi igitur quid Augustinus Hieronymo & tibi respondeat; *Quanquàm, sicut paulò antè dixi, tantummodo scripturis canonicis hanc ingenuã debeam seruitutem, qua eas solas ita sequor, vt conscriptores earum nihil in eis omninò errasse, nihil fallaciter proposuisse, non dubitem.* Et alibi contra Faustum

Lib.11.cap.5. Manichæum post declaratam scripturæ auctoritatem ait, *In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ Canonicarum scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscunque eorum inuenitur eadem veritas, longè tamen est impar auctoritas. Itaque in eis si quid fortè propterea dissonare putatur à vero, quia non vt dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditorue iudicium; quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit, & ideo cuncta eiusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa canonica auctoritate defendantur, vt demonstretur vel omninò ita esse, siue fieri potuisse, quod vel disputatum ibi est, vel narratum, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa verò canonica eminentia Sacrarum literarum, etiamsi vnus*

Propheta

Propheta, seu Apostolus, aut Euangelista aliquid in suis literis posuisse, ipsa canonis confirmatione declaratur, nō licet dubitare, quod verum sit: alioquin nulla erit pagina, qua humanæ imperitiæ regatur infirmitas. Quare detectam sententiæ tuæ fraudem, & confutatam, tuam de pari humanorum scriptorum & Sacrarum literarum veritate & pondere doctrinam, animaduertis. Ac propterea in viam veritatis redi & debitam Sacris literis gloriam restitue, concilia vero quæ cum ijs consentiunt, siue ea particularia sint, siue vniuersalia, non quia concilia, sed quia vera, amplectere; quæ contra ab ijs dissentiunt, ea auersare. Agnosce verum illud esse, quod aduersus generale Concilium Constantinopolitanum, ait Nicolaus Papa primus; *Non totidem præsules, sed merita non minora, synodum synodo possunt facere parilem.* Item; *Numerus igitur pusillus, nec obest, vbi abundat pietas; nec multiplex prodest, vbi regnat impietas.* Item; *Nolite ergo gloriari in multitudine: quia non multitudo, sed causa, damnationem vel iustificationem adducit.* Denique ad celeberrimam illam, piam & elegan-

Cōcil. Tom. 2. Epist. ad Michaelem imperat.

Contra Maximini lib. 3. cap. 10.

tem Augustini sententiam attende: *Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam praeiudicaturus, proferre concilium. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione, concertet.*

CAPUT V.

Caeterùm demonstrata iam Sacrarum literarum auctoritate, quid de earum perfectione iudices, expendamus.

COSTERUS.

An omnia quae credere oportet, sint Sacris literis expressa?

Ex his facile erit controuersias omnes de Sacra scriptura ortas dijudicare, & imprimis illã, *Vtrũ omnia, quae ad fidem pertinent, sint scriptis expressa?* Dicendum enim, omnia fidei mysteria, caeteraque creditu & scitu necessaria, in corde ecclesiae esse clarissimè exarata: in membranis, tam Noui, quàm Veteris Testamenti, multa desiderari.

derari. Vbi enim numerus Euangeliorum & Epistolarum Apostolicarum? Vbi Euangelium Matthæi & Marci in scripturis diuinis potius, quàm Nicodemi, aut Thomæ, commendatur? Vbi habetur duodecim articulos fidei, ab Apostolis esse ecclesiæ relictos? Præterea formas multorum Sacramentorum, iustis de causis, ait B. Dionysius Ariopagita, esse suppressas. Eodem pertinent difficilium & dubiarum scripturarum interpretationes, quas in varios sensus hæretici trahunt. B. Augustinus ad Apostolicam traditionem, extra scripturam, refert baptismum paruulorum. B. Basilius, aliique patres multa alia enumerauerunt in quibus ad hoc primum scripturæ genus confugerunt, inuitis omnibus, omnium ætatum, hæreticis: qui, quum aliam nullam præter externam scripturam agnoscunt, in ea tamen omnia contineri, valdè impudenter affirmare non verentur. Cæterùm non inficiamur, præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis ad salutem necessaria, perspicuè satis esse Apostolicis scriptis compre-

Cap. vlt. Eccl. Hierarc.
Innoc. 1. Ep. 1.
Lib. 10. de Genes. ad lit. cap. 23.
Lib. de Spirit. Sancto. c. 27.
August. ep. 3. ad volus.

comprehensa: cuiusmodi sunt mysterium trinitatis & incarnationis filij Dei, historia passionis Domini, remissio peccatorum & promissio vitæ æternæ. Hæc enim, vt firmius omnium mentibus inhærerent varijs modis inculcari debuerunt, concionibus, Euangelijs, Epistolis, & demū Apostolico symbolo. Quod ideò diuini illi principes ecclesiæ ita breuiter & perspicuè posteritati tradere voluerunt, vt nemo illius ignorantiam posset excusare.

GOMARVS.

RECTE ais, Costere, *ex hisce facilè fore controuersias omnes de Sacra scriptura ortas dijudicare, & imprimis eam*, quæ ad perfectionem illius, spectat. Sed in eo non rectè facis, quòd formam controuersiæ omninò peruertis. Nec enim id inter nos quęritur, *vtrū omnia, quæ credere oportet*, sint Sacris literis expressa? sed generatim, *an omnia fidei & vitæ Christiana dogmata ad salutem necessaria Sacris literis descripta sint?* Quædam enim descripta statuimus expresse, quædam vi necessariæ consequentiæ: quemadmodum

dum vtriusque modi exempla, eodem tempore suppeditauit Christus. Prioris quidem, quum rogatus, quodnam esset magnum mandatum in lege, respondit id quod expressa legis sententia cõtinetur; *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde.* Posterioris verò, quum aduersus Sadducæos resurrectionem asseruit; *De resurrectione verò mortuorum non legistis, quod verbis dictum est, à Deo dicente: Ego sum Deus Abraham, & Deus Israel & Deus Iacob? Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Quare dum angustius statum quæstionis describis, indignam viro docto & pio fraudem admittis. Nec culpam minuit cæterorum Pontificiorum Theologorum exemplum. Nam quamuis (vt alios prætercam) antesignanus vester Eccius (quem & operis titulo & materia maximè secutus videris) differat, nostros *nihil recipere velle, nisi probetur per scripturas expresse,* eius rei falsitatẽ, ex sequentibus Eccij verbis, potuisses obseruare. Sic enim tandem ait; *Non sunt igitur solùm credenda & obseruanda (id quod volũt stolidi Lutherani) quæ expresse habentur in diuinis literis*

Matth. 22. 36. 37.

Ib. 22. 31. 32.

Enchiridio locorum cõmunium cap. 4.

literis aut probantur ex ipsis, verùm etiam ea oportet credere & seruare quæ sancta mater Ecclesia credit & obseruat. Itaque quemadmodum quæstionem, Eccij calumniam secutus, hoc modo deformasti; *An omnia quæ credere oportet, sint sacris literis expressa:* sic, cum eodem reformare potuisses & addere, *Aut probãtur ex ipsis.* De qua quæstione, quid certi statuas expendamus; *Dicendum*, inquis, *omnia fidei mysteria cæteraque creditu & scitu necessaria in corde ecclesiæ esse clarißimè exarata: in membranis, tam Veteris quàm Noui Testamenti multa desiderari.* Sed huic iudicio Haymonem oppono, qui ante annos octingentos sic docuit, Nos *autem partim in cordibus, pleinus autem in membranis scriptum* (Euangelium) *habemus, ab illis* (Apostolis) *nobis relictum, vt in illis meditando exerceamur.* Et Eusebium in concilio Nicæno contra Philosophum differentem, qui ait, *Scriptis crede, quæ non scripta sunt ne cogites, nec inquiras.* Quarum sententiarum veritas tuarum obiectionum imbecillitate confirmatur. Nam quòd primùm quæris, *vbi numerus Euangeliorum & epistolarum Apostolicarum?*

Comment. Hebr. 8.

stolicarum? respondemus hanc numeri notitiam non esse absolutè necessariam. Nam quemadmodum Irenæus ait, *multos Barbaros fidem habuisse Euangelio, sine scripturis:* sic, plurimi semper extiterunt rudiores Christiani, qui Euangelistarum & Apostolorum doctrinam amplexi, numerum tamen librorum ignorarunt. Imò quid dico rudiores, quum totus ferè orbis hac in re interdum aberrarit: quemadmodum (vt alia argumenta omittam) apertè testatur & errorem corrigit Hieronymus. *Quod si eam* (epistolam ad Hebræos) *Latinorum consuetudo, non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem ecclesiæ, Apocalypsin Iohannis eadem libertate suscipiunt: & tamen nos vtramque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.* Deinde verò numerus etiam Euangeliorum & Epistolarum titulorum inductione declaratur. Et si Gregorium magnum pontificem Romanum audire lubet Euangeliorum numerus & scriptores commendantur Ezechielis capite primo, vt in suis ad eum

Lib. 3. cap. 4.

Epist. Tom. 3. ad Dardan.

eum locum commentariis (*quos à Spiritu Sancto dictatos profiteris*) testatur. Qua in re secutus est antiquos patres Irenæum lib. 3. cap. 11. Athanasium in Synopsi & Hieronymum, qui suam, sententiam hisce verbis concludit; *Quibus cunctis perspicuè ostenditur, quatuor debere tantum Euangelia suscipi, & omnes Apocryphorum nænias, mortuis magis Hæreticis quàm ecclesiasticis viuis, canendas.* Sed alia instas via, & altera quæstione nos vrgere studes, *Vbi*, inquis, *Euangelium Matthæi & Marci in scripturis diuinis potius, quã Nicodemi aut Thomæ cõmendatur?* Respondeo, non solùm in Ecclesiæ doctrina; sed etiam in Veteri & Nouo Testamento. Quod vt plenius ac planius ad Dei gloriã & ecclesiæ institutionem illustretur, non ingratum me facturum pio & attento lectori existimo, si totum hunc locũ de Noui Testamenti auctoritate, non solùm aduersus Pontificios, sed etiam aduersus alios diuini verbi cõtemptores, eadem opera distinctius, ex orthodoxo patrum consensu, pertractaro. Etenim modi quibus noui testamenti scripta genuina cognoscantur

De Scriptura, pag. 54.

Procemio in Matthæum & Comment. Ezech. 1.

sunt

sunt duplices. Alij enim constant demonstrationibus externis, alij internis. Externas appello, quæ extra Sacras literas petuntur: suntq. testimonia partim diuina, partim humana. Diuina sunt, primùm Apostolorũ & Euangelistarũ: qui, donec fuerunt in viuis, non solùm ex certa rei cognitione; sed etiam ex perpetuo Spiritus Sancti regimine, tanquam Sacrosancti & publici veritatis salutaris à Deo delecti & stabiliti notarij, sua scripta ipsimet ecclesiæ tradendo, & viua voce, miraculis & sanguine suo obsignando, ea ab adulterinis distinxerunt. *Non enim* (vt ait Chrysostomus) *in vno aliquo scribentes angulo, ea quæ scripserant, occultauerunt: sed terras maria lustrantes, in conspectu & auribus omnium volumina sacra replicabant, quæ (sicut etiam nunc fieri videmus) ipsis quoque præsentibus legebantur inimicis.* Deinde reliquorum Apostolorum & Euangelistarum scripta eodem consilio ad veritatem declarandam, ecclesiæ, suo ordine, commendarunt. Quemadmodum Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum testatur; *Marcus discipulus*

Tertul. contra Marc. lib. 4. cap. 5.

In Matthæũ Homil. 1.

In Marco. Vide etiam Tertull. cõtra Marcionem lib. 4. cap. 5.

cipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus, breue scripsit Euangelium. Quod quum Petrus audisset, probauit, & ecclesiæ legendum sua authoritate edidit, sicut Clemens in sexto ὑποτυπώσεων libro scribit. Et de Iohannis Euangelio

In Iohanne. ait; *Sed & aliā causam huius scripturæ ferūt, quod quum legisset Matthæi, Marci & Lucæ volumina probauit quidem textum historiæ.* Nec Apostoli solùm & Euangelistæ de noui testamenti scriptis potuerūt certò

1. Cor. 14. iudicare; sed etiam Prophetæ alij & miraculis clari, qui in Apostolica ecclesia multi & aliquamdiu viguerunt, & voce & miraculis idem cum Apostolis testati sunt. Atque hisce testimonijs diuinis accedunt etiā testimonia humana, ecclesiæ & hostium illius Et ecclesię quidem primùm primitiuæ, quæ ab Apostolis & Euangelistis Noui Testamēti libros accepit, & eorum voce, miraculis & sanguine comprobatos tanquam genuinos agnouit, autographa seruauit & fideli descriptione & versione vniuerso orbi

Cap 36. & cōtra Marcionem lib. 4. cap. 5. cōmisit & hæc omnia ad posteros transmisit. Qua de re Tertullian. in libro de prę̨scriptionibus aduersus hęreticos ait,

Age

Age iam, qui voles curiositatē melius exercere, in negotio salutis tuæ, percurre ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscuiusque. De versione verò Noui Testamenti in varias linguas, testatur etiam Chrysostomus, qui de Euangelio Iohannis ait, In Iohannem Homil. 1. *Syros, Ægyptios, Indos, Persas, Æthiopes, & innumeras alias gentes id in suam linguam transtulisse.* Et Eusebius; *Prædicatū itaque est in exiguo temporis spatio in toto orbe Euangelium, in testimonium omnibus gentibus & Barbari & Græci quæ de Iesu Christo erant scripta, patrijs literis, patriáque voce exceperunt.* De demonstratione Euangel. lib. 3. cap. o. Deinde, non solùm ecclesiæ primitiuæ testimonio Euangelistarum & Apostolorum libri demonstrantur: sed etiam simili sequentis ecclesiæ scientia ac fidelitate; quæ eosdem libros à maioribus traditos, fideliter accepit, conseruauit, & ad posteros cōtinua successione transmisit & scriptis suis varijs in æternam rei memoriam consignauit. De qua canonis Noui Testamenti constitutione & ab Apostolis & maioribus

Contra Faustum Manichæū lib. 11. cap. 5.

deriuatione ait Augustinus; *Distincta est, à posterorum libris, excellentia canonicæ auctoritatis Veteris & Noui Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus per successiones episcoporum & propagationes ecclesiarum, tanquam, in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus.* Nec tantùm ecclesia de Sacris Noui Testamenti libris hisce modis testata est, sed etiam hostes ecclesiæ assensu suo variè confirmarunt. Nam, quemadmodum publica inde ab initio fuit librorum Sacrorum traditio, explicatio & vsus in ecclesia Dei; ita plurimi ecclesiæ aduersarij, qui illius saluti insidiabantur, re comperta, de autoribus Noui Testamenti minimè dubitarunt. Vt enim Lucianum Sophistam prorsus impium prætercam, doctissimi & capitales Ecclesiæ hostes idololatræ, Porphyrius & Iulianus Imperator Apostata, veritatem quidem librorum Noui Testamenti oppugnarunt, sed quum omnes contradicendi occasiones captarent, eò tamen impudentiæ minimè peruenerunt, vt contra perpetua totius orbis testimonia & conspi-

Chrysost. in Matthæum Homil. 1.

Chrysost. in Marcum Homil. 1. Cyrillus cōtra Iulianum. Hieronymus comment. ad Gal. &c.

conſpicuam rei certitudinem, Euangelium Matthæi à Matthæo Apoſtolo, epiſtolas Pauli à Paulo Apoſtolo, prodijſſe negarent. De hoſtium verò hæreticorum teſtimonio rectè Iræneum ſecutus ait, Chryſoſtomus, *Horũ igitur omniũ conſonantiam, orbe quoque ipſo teſte, monſtramus; qui ea quæ ſunt dicta ſuſcepit, teſtibus quoque ipſis veritatis inimicis. Siquidẽ multæ, poſt illos, hæreſes pullularãt, contraria his, quæ ſcripta ſunt, opinantes. Et earum quidem aliæ, omnia, quæ Euangeliſtæ ſcripſerant, receperunt: aliæ verò, quibuſdam ſententijs à reliquo opere amputatis, ſic apud ſe ſcriptas, conſeruant. Quod ſi pugna aliqua eſſet in dictis, neque iſtæ, quæ ex aduerſo loquuntur hæreſes, omnia recepiſſent; ſed tantummodò illam partem, quam ſibi cernerent cõuenire: neq; iſtæ, quæ partem aliquam receperunt ex eadem parte conuicti fuiſſent.* Atque hæc de externis modis, quibus certitudo & auctoritas ſcriptorum Noui Teſtamenti aſſeruntur. Internæ verò demonſtrationes ſunt, quæ ex ipſis libris ſacris hauriuntur, & generatim ad quatuor fontes reuocari poſſunt, nempè ad ſcriptorum manum, doctrinam,

Lib. 3. ca. 11.

Chryſoſt. in Matthæum Homil. 1.

ſtylum, efficaciam: quorum primum, temporarium fuit, reliqua verò tria, perpetuò durant. Prima itaque demonſtratio eſt, ex Euangeliſtarum & Apoſtolorum manu, quæ vt cognita fuit eccleſiæ, ſic olim inter alia ſignum fuit certũ, quo libri ſacri à ſuppoſititiis & falſis diſcernerẽtur. Nam ſua ſcripta aut integrè ſcribebant, aut ſaltem ſubſcriptione ſua ſanciebant. Qua de re
2. Theſ. 2, 2, 3. Paulus ait; *Ne citò à mente dimoueamini, neque turbemini, neque per Spiritum, neque per ſermonem neque per epiſtolam tanquam per nos* (ſcriptam) *quaſi inſtet dies ille Christi. Ne quis vos ſeducat vllo modo.* Et
2. Theſ. 3, 17, 18. ſequentibus; *Salutatio mea manu Pauli quod eſt ſignum in omni epiſtola: ita ſcribo; Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum om-*
1. Cor. 16. 21. *nibus vobis, Amen.* Sic ad Corinthios &
Col. 4. 18. Coloſſenſes, *Salutatio mea manu Pauli,* Et
Gal. 6. 11. ad Galatas. *Videtis qualibus literis vobis ſcripſerim mea manu.* At quem locum ait
Comment. ad Gal. 6. Hieronymus, ſic Paulum loqui, *quòd ſua manus eſſent eis nota veſtigia: vt dum literarum apices recognoſcunt, ipſum ſe putarent videre, qui ſcripſerat.* Alter demonſtrationum fons eſt, doctrinæ maieſtas; quæ

quæ rerum veritate, sanctitate & sublimitate continetur. Ac veritas quidem elucet primùm in mutuo consensu, quo sibi, & inter se, & cum Veteris Testamenti canone eadem doctrina & simili authorum, in humili conditione & erratis suis syncerè narrandis, ingenuitate conueniunt. Quare quum Vetus Testamentum ex se, & ex Nouo, & similiter Nouum ex seipso & à Veteri confirmetur: quis non videat Sacram scripturam ex seipsa comprobari? Sic Theodoretus ait; *Euangelicam præterea veritatem & antiquæ prophetiæ confirmant. Hæ namque prædicunt, quæ in Euangelijs continentur. Euangelia verò propheticæ prædictionis finem ostendunt*: Atque hac demonstratione, aduersus vtriusque Testamenti aduersarios antiqui patres merito & frequenter vsi sunt. Quemadmodum Augustinus ait; *Auctores nostri, in quibus non frustrà Sacrarum literarum figitur & terminatur canon, absit vt inter se aliqua ratione dissentiant. Vnde non immeritò quum illa scriberent, eis Deum, vel per eos, locutum, non pauci in scholis atque gymnasijs litigiosis disputationibus garruli,*

Vide Chrysost. Homil. 1. in Matthæum. Augustinum de consensu Euangel. &c.

Græcarum affect. curat. Serm. 6.

De ciuitate Dei lib. 18. cap. 41.

sed in agris atque urbibus, cum doctis & indoctis, tot tantique populi, crediderunt. Et alibi, *Nos ad commemorationem fidei nostræ, & ad consolationē spei nostræ, & ad exhortationem charitatis nostræ, libros Propheticos & Apostolicos legimus, alterutris vocibus sibimet concinentes: & ea concinentia tanquam cælesti tuba & à torpore mortalis vitæ nos excitantes, & ad palmam supernæ vocationis extendentes.* Secundò demonstratur veritas, ex prophetiarū Noui Testamenti, cum earū euentu, cōuenientia summa. Qua ratione Tertullianus cōtra gentes allatis aliquot exemplis ad scripturæ vtriusque Testamenti veritatem confirmandam subijcit, *Idoneum opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum: quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eædem voces sonant, eædem literæ notant, idem Spiritus pulsat, &c.* Et Theodoretus, adductis non paucis ex Matthæi Euangelio prædictionibus, euentu comprobatis, ait; *Eorū itaque verborum veritatem res ipsæ, clamore vocalissimo, prædicant, &c. Quandoquidem igitur hæc Dominus multò ante*

De Cōsensu Euangel. lib. 1. cap. 1.

Apologetico cap. 20.

Græcarū affection. curat. serm 11.

Vide etiam August. cōtra Faustū lib. 13. cap. 5.

antè prædixit, idemque futuræ vitæ statum nobis prænunciauit, videmusque perspicuam harum rerum veritatem, illa quoque sine controuersia, quæso, accipiamus, ad iis quæ facta iam cernimus ad illa perducti: hisce vtentes pro illorũ signis certis. Hac enim causa & hæc & illa, Christus prædixit, vt his ea maximè stabiliret. Deinde non solùm doctrinæ veritas, sed etiam cõiuncta sanctitas diuinam librorũ Noui Testamenti originem demonstrat. Nam & Deum summum bonũm, & officium nostrum erga Deum, ad illius gloriam & hominum beatitudinem, purissimè in ijs describi, ex diligenti lectione, & cum alijs scriptis comparatione, orthodoxi patres copiosè demonstrarunt. Denique doctrinæ Noui Testamenti maiestatem demonstrat rerum, quæ explicantur, sublimitas. Nam de Deo rebusque diuinis, deque hominis beatitudine, ea proponit, quæ captum humanum longè superant. Eoque præclarè ait Chrysostomus; *Non enim humanæ simpliciter est animæ de immortali & beata illa natura & quæ cum illa sunt potestatibus, de natura corporum mortalium & eorum futura*

Chrysost. in Matthæum Homil. 1.
Cyrillus contra Iulianum. Theodoretus Græcar. affect. curat. &c.

In Matth. Homil. 1.

 immor-

immortalitate, de supplicio, de futuro iudicio, de verborum, operum, cogitationum & sententiæ uniuscuiusque examinibus intelligere, &c. Et alibi, *De Deo rebusque cœlestibus ea philosophari docent, quæ illorum* (philosophorũ) *nullus vnquam potuit vel mente concipere, &c. Nihilominus tam sublimia illa nostrorum dogmata & suscepta & credita sunt, & florent quotidie.* Præterea quemadmodum doctrinæ maiestas, sic etiam stylus librorũ Noui Testamenti Deum auctorem esse demonstrat. Etenim in stylo eorum tria potissimùm diuinæ originis indicia elucent. Primùm est simplicitas & perspicuitas summa, qua sine humanæ eloquentiæ fuco sublimia salutis mysteria, tanquam per se fide digna & omnibus necessaria, magna verborũ humilitate declarantur. Nam quod de Euangelio Iohannes ait Chrysostomus, id de toto Nouo Testamento meritò affirmari potest ac debet; *Idcircò nulla caligine, nullis tenebris suam operuit doctrinam vt illi* (philosophi) *ratione sua, prauis opinionibus obscuritatẽ, tanquam velum quoddam, indiderunt. Huius autem doctrina sole clarior est & illustrior,*

In Iohannem Homil. 1.

In Iohannem Homil. 1.

ftrior, ideóque in omnes mortales propagata. Nullum hic tumorem verborum atque fucum, nullam superfluam compositionem & stylum ineptum videbimus (longè enim hæc ab omni absunt Philosophia) sed diuinum & inexpugnabile robur & sacrorum dogmatum tantam vim vt nullo possit pacto superari.

Alterum in stylo diuinæ originis indicium situm est in verborũ pondere, quod in superiori de concilijs quæstione Costerus vltro profitetur; *Si autem* (inquit) *verba ipsa decretorum consideres, nullo modo sunt cum sacris literis cõferenda: quum hæ dictata à Spiritu Sancto nec iota vnum vel vnum apicem habeant, cui non insit suum pondus & efficacitas: vnde tanquam diuina eloquia mentem hominis admirabili dulcedine & suauitate afficiunt, sicut toto Psalmo* 118. *B. Dauid Propheta docet.*

Postremũ quod in stylo consideramus est auctoritas, quæ emicat partim ex assertionibus, partim ex præceptis. Nam in narrationibus, promissionibus: minis, nullum dubitationis aut opinionis vllius vestigium est, sed perpetua, diuinam certitudinem spirans, assertio. Deinde etiam præcepta non tam nituntur ratio-

rationum robore, quàm voluntate & iussu Dei: ac proterea obedientiam non liberam faciunt: sed tanquam omninò
Luc. 1. 4. necessariam, iure exigunt. Sic Lucas se testatur, *scribere veritatē*, aut potius, *non*
Iohan. 20. 31. *labascentem firmitatem*: & Iohannes. *Hæc scripta sunt vt credatis, Iesum esse Christum filium Dei, & credentes vitam habeatis, in*
Iohan. 21. 24. *nomine eius*. Item; *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, testimonium eius esse verum*: Et
Apoc. 21. 18. 19. alibi; *Contestor enim omni audienti verba Prophetiæ libri huius; Si quis adiecerit ad hæc imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto. Et si quis abstulerit aliquid de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro vitæ & ex vrbe sancta, & ex ijs quæ scripta sunt in libro isto*. Ac rectè Chry-
In Matth. Hom. 1. sostomus; *Quæ enim sapientes seculi, ne per somnium quidem, aliquando imaginari potuerunt, hæc isti* (Apostoli) *cum asseueratione manifesta, annunciant, atque persua-*
In Iohannem Hom. 1. *dent*. Et alibi; *Hic piscator, omnia absque dubitatione differens, tanquam petræ innixus, nulla ex parte titubat. Ipsis namque supernis penetralibus dignus habitus est, & quum omnipotentem Deum in se loquentem*

haberet,

haberet, nihil terrenum sentit. Sic Paulus Gal. 1. 1.
& Petrus similiter dictorum & scripto- 2. Pet. 1. 16.
rum suorum auctoritatem sanciunt.
Denique libros Noui Testamenti esse
sacros ac diuinos demonstrat diuina
eorum efficacia: quæ partim in conuer-
sione & correctione multorum; partim
in partinacium aduersariorum subiu-
gatione, sese exerit ac prodit. Et in
conuersione quidem excellit primùm
reuerentia & fides, quam Euangelista-
rum & Apostolorum scripta, in animis
auditorum, diuina virtute, excitant ac
fouent. Nec enim humana aliqua
scriptorum potentia, aut dignitate
commendantur; nec vllo doctrinæ suæ
cum humana ratione aut cupiditate
consensu, fulciuntur; sed hominum,
ob inuisam nationem & conditionem,
abiectorum, & ob doctrinam suam, à
principibus & sapientibus huius mun-
di occisorum, nomina præferunt: &
doctrinam, quæ communi iudicio ridi-
cula videtur, & omnium hominum 1. Cor. 1.
cupiditatibus, humanis religionibus,
legibus, & consuetudinibus aduersa-
batur, proponunt ac persuadent. Quæ
demon-

demonstratio adeò illustris est, vt *nihil* frequentius in patrum orthodoxorum, aduersus scripturæ hostes disserentium, scriptis occurrat: è quibus pauca seligemus. *Tria* (inquit Augustinus) *sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt. Incredibile est enim Christum resurrexisse in carne, & in cælum ascendisse cum carne: Incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse. Incredibile est homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo & in illo etiam doctis persuadere potuisse.* Similiter *Eusebium secutus † Theodoretus, postquam prolixè demonstrauit legum & religionum humanarum impotentiam & angustos earum fines, de Apostolis & eorum doctrina & scriptis subijcit; *At nostri illi piscatores & publicani sutorque ille noster cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt. Neque solùm Romanos quique sub Romano viuunt Imperio, sed Schytas quoque ac Sauromatas, Indos, Æthiopes, Persas, Seras, Hircanos, Britannos, Cimmerios & Germanos, vtque semel dicatur, omne hominum genus nationesque omnes induxerunt, Crucifixi leges accipere, non armis, vsi,* non

De Ciuitate Dei lib. 22. cap. 5.

* Euseb. de præpar. Euāg. lib. 1. cap 3. & de demonstr. Euang. lib. 3. cap 2. & 9.

† Theodoretus Græcarū affect. curat. Sermone 9.

Vide etiam Chrysost. in Matth. Homil. & in Ioh. Homil. 1.

non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Persicæ violentia; sed verborum suasu, ostensa legum quas prædicabant, vtilitate. Qua de re piè & doctè ante annos centum scripsit, libro. 3. de patientia cap. 2. Baptista Manturanus, monachus sui æui doctissimus; *Sæpenumero* (inquit) *mecum cogitaui, vnde tam suadibilis sit ista scriptura, vnde tam potenter inflat in animos auditorum: vnde tantùm habeat energiæ; vt non ad opinandum tantùm, sed ad solidè credendum omnes inflectat? Non est hoc imputandum rationum euidentiæ, quas non adducit: non artis industriæ, aut verbis suauibus & ad persuadendum accommodatis: quibus non vtitur. Sed vide an id in causa sit, quòd persuasi sumus, eam à prima veritate fluxisse. Sed vnde sumus ita persuasi, nisi ab ipsa? quasi ad ei credendum, nos sua ipsius trahat auctoritas. Sed vnde, oro, hanc sibi auctoritatem vendicauit? Neque enim vidimus nos Deum concionantem, scribentem, docentem: tamen, ac si vidissemus, credimus & tenemus à Spiritu Sancto fluxisse quæ legimus. Forsitan fuerit hæc ratiò firmiter adhærendi, quòd in ea veritas sit solidior, quamuis non clarior. Habet enim omnis veri-*

tas

tas vim inclinatiuam, & maior maiorem, & maxima maximam. Sed cur ergo non omnes credunt Euangelio? Respondeo quod non omnes trahuntur à Deo. Sed quid longa opus est disputatione? Firmiter Sacris scripturis ideò credimus, quòd diuinam inspirationem intus accipimus. Et cap. 3. *Inest ergo Scripturis Sacris, nescio quid, imò scio, quid, natura sublimius: id est, inspiratio facta diuinitus, & diuinæ irradiationis influxus certus. Quod si & aliarum religionum Hebraica & Machometana exempla produxeris, in quibus est assensus, qui non diuino influxui, sed imputandus sit consuetudini, respondemus eorum religione contineri humilia, & nihil ferè supra terrã ac humana: quibus credendis quum non multùm natura reluctetur, consuetudo facilè opitulatur. Nostra verò sunt sublimia, diuina, cælestia, creditu difficillima & quibus, cum fortior consuetudine natura, contradicat, necesse est, ut inspiratio foueat.* Deinde, quemadmodum Euangelistarum & Apostolorum doctrina & scripta, fidem omnium ferè gentium sibi conciliarunt; sic diuinum quendam amorem veritatis & sanctitatis suæ in earum animis accenderunt. Ac veritatis quidem

dem amorem demonſtrat, non ſolùm fidelium libera oris confeſſio, ſed etiam ſanguinis obſignatio: quem diuina quadam conſtantia, infinita virorum, mulierum, ſenum, iuuenum, nobilium, ignobilium, doctorum, indoctorum turba, ad librorum Noui teſtamenti doctrinam confirmandam, inde ab initio, conſtantiſſimè profudit. Vnde non immeritò ea virtus, *martyrium* hoc eſt, teſtimonium, nimirum veritatis diuinæ, & fidei ac charitatis noſtræ, appellari ſolet. Sanctitatis verò amorem teſtatur ſubita infinitorum hominum improbiſſimorum, ad meliorum frugem, & gentium profanarum & crudeliſſimarum, ad pietatem, iuſtitiam, temperantiam, clementiam admirandam, librorum Noui teſtamenti doctrina & lectione conuerſio. De qua re eleganter ait Theodoretus; *Iure igitur factũ eſt, vt veriſſimas de diuinis humaniſque rebus traditiones, non illuſtres eloquentia, tumidique ſermones, ſed ſimplices humileſque, ac omnibus mortalibus noti, prædicent, magnumque adeò ineffabilemque theſaurum viles admodum thecæ deſpicabi-* Græcarũ affection. curat. ſermone 9.

lesijue circumferant. Quantum autem roboris quantúmque virtutis insitum habeant, facilè is inspiciet, qui Græcorum legislatores ac Romanorum in medium proferat, hisque nostros piscatores ac publicanos in comparationem adducat. Inueniet enim illos, ne finitimis quidem persuasisse, vt ad suas leges vitam instituerent: contra autem Galilæos, non solùm Romanos, Græcósque, verùm etiam cunctas Barbaras nationes ad amorē legis Euangelicæ traduxisse, &c. Quæ demonstratio pluribus modis eodem in loco explicatur & expolitur. Cæterùm librorum Noui Testamenti efficacia *non in* sola fidelium conuersione & correctione sita est, sed etiam in certa de hostibus victoria apertè conspicitur. Vt
Math. 16. enim portæ inferorū ad ecclesiam subuertendam, nihil valent: sic Sacras literas, tanquam doctrinæ ecclesiæ fundamentū & canonem extinguere aduersarij ipsius, tyranni, Ethnici, Iudæi, hæretici, frustra conati sunt & interdum tragico interitu veritatis victoriam inuiti obsignarunt. De qua re, (vt reliquos patres sileam) memorabi-
Græcarū affec. non. curat. Sermone 9. lis est Theodoreti demonstratio, *Cæterùm*

rum (inquit) *hi tot numero Imperatores, tantaque dominatione orbem regentes, contusis Barbarorum animis, clari bellicis victorijs atque illustres, manualium tamen artificum rudiumq; hominum & pauperrimorum mulierúmque lana & tela victum sibi quærentium, potentes minimè fuerunt: quanquam aduersus eos machinamentis omnibus vsi fuerint. Quid autem grandiores natu, viros dico ac mulieres, quum ne adolescentes quidem prima literarum elementa perdoctos à Dei Seruatorísque nostri cultu summouere potuerint. Itaque Corybantum more capita præ furore iactantes inciti rabie, technisque ac vafrramentis vsi quàm plurimis, piscatorum leges non dissoluerunt quidem; sed multò valitiores oppugnando eas reddiderunt: planeque illis persimiles inuenti sunt, qui flammam quidem restinguere concupiscunt, oleum verò fatuè instillantes ardentiorem illam efficiunt. Etenim hi quoque, contra pietatem bello suscepto, piæ veritatis robur manifestius declararunt. Ac veluti quondam rubus ille, quem vidit Moses, ardore ignis non est absumtus; ita nec Christianos, impiorum bellis petitos, tela hostilia consumserunt. Quin potius sicut lignatoribus syluam cedentibus, multò plures*

pullulant propagines, à radicibus, quàm sunt rami qui inciduntur; ita tum quoque, pijs compluribus interfectis, multò plures quotidiè ad doctrinam Euangelicam accedebant: cruorque ille cæsorum corporũ irrigatio quædam erat nouis in Ecclesia emergentibus plantis. Atque hæ quidem quas hactenus recensui sunt præcipuæ demonstrationes, quibus Sacræ scripturæ & præsertim librorum Noui Testamenti origo diuina confirmatur. Verumtamen, pro diuerso & triplici ecclesiæ tempore, earum copia distinguenda est. Nam ecclesia primitiua, quæ ipsos *Apostolos* & Euangelistas audiuit, reliquis à se deriuatis, prima acceptione librorum, voce Apostolorum, & miraculorum numero excelluit. Proxima verò & media Ecclesia, durantibus Apostolorum autographis, primitiuam, ampliori prophetiarum Noui Testamenti complemento, & versionum vtriusque Testamenti in varias linguas frequentia, & exarato varijs libris fidelium de Sacra scriptura testimonio; sequentem verò Apostolorũ & Euangelistarum manu, primitiuæ ecclesiæ auditione, & miraculorum

culorum numero, superauit. Postrema verò, autographis Apostolorum iam vetustate sublatis, maiori saltem prophetiarum euentu primitiuam & mediam ecclesiam antecedit. Vnde Apocalypsis Iohannis, quæ in primitiua Ecclesia fuit auctoritatis certæ, in media verò, ob hæreticorum fraudem & imprudentem multorum patrum in ea explicanda errorem, multis in locis cæpit esse auctoritatis dubiæ: tandem diligentiori examine adhibito & conspicuo multarum prophetiarum euentu, potissimùm in postrema ecclesia, cōprobata est, omnisq. dubitandi occasio sublata. Quamobrem, vt ad quæstionem abs te propositam reuertar, Costere, Matthæi Euangelium esse sacram scripturam demonstrant ea argumenta, quæ iam explicaui, non solùm externa, sed etiam interna ex ipso Euangelio & reliqua Sacra scriptura petita. Ac præsertim doctrinæ maiestas, hoc est veritas (quæ apparet in communi partium singularum cum toto, & totius cum reliquo Veteris & Noui Testamenti canone, in doctrina, & ingenuitate,

Vide August. cōtra Faust. lib. 8. cap. 2.

tate, & prophetiarum cum euentu conuenientia perpetua) sanctitas, sublimitas. Deinde styli conuenientissima humilitas, pondus, auctoritas. Denique diuina efficacia: quæ primùm elucet in conuersione ecclesiæ ad fidem & amorem sui; quæ, libera oris confessione & testificatione sanguinis, patefiunt: deinde, in clara de omnibus hostibus, qui inde ab initio restiterunt, victoria, qua irritos eorum conatus reddidit, & sæpè stimuli instar, aduersus *se recalcitrantibus, memorabilem perniciem*, iusto Dei iudicio, attulit, & *confessionem* suæ diuinæ originis expressit. Quemadmodum de Imperatore Iuliano Apostata illustre & celeberrimum eius rei specimen narratur. Nam quum Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Iohannis, aliosque Noui Testamenti libros nominatim & acerrimè Christi odio oppugnarit, vt eos ex animis & manibus fidelium excuteret ac perderet, non solùm operam lusit, sed etiam eorum librorum auctoritatē & Christi potentiam inuitus * illustrauit, & tandem conscientiæ & veritatis stimulis agitatus,

Iuliani Verba extant apud Cyrillum contra Iul. lib. 8. & 10.

* Theodoretus Græcarū affect. curat. Serm. 9.

agitatus, confessus est. *Quippe* (vt refert Theodoretus) *in bello Persico, lethali vulnere, incerto auctore, accepto, implesse manum suam ferunt sanguine, & sparso illo in aëra dixisse, Vicisti Galilaee, simulque & victoriam confessum, & maledictum ausum esse: ita erat attonitus.* Vides igitur, Costere, nobis præter ecclesiæ testimoniũ plurimas superesse demonstrationes, ex ipsis Euangelijs petitas, quibus diuina eorũ auctoritas nobis constat. Ac sanè tanta huius rei est claritas & veritatis robur, vt imprudentes nobis prębeatis interdum assensum, & vestrũ errorem aperta cõtradictione subuertatis. Nam quũ aduersus scripturarũ hostes disputandum est, quibus obsecro vtimini argumentis? an solius ecclesiæ testimonio? Audiatur Bellarminus Iesuita; *At Sacris scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nihil est notius, nihil certius: vt stultißimum esse necesse sit, qui illis fidem esse habendam neget. Notißimas enim esse, testis est orbis Christianus & consensio omnium gentium, apud quas multis iam seculis summam semper auctoritatem obtinuerunt: certißimas autem atque verißimas esse nec humana in-*

Hist. ecclesiast. lib. 3. cap. 25.

De verbo Dei lib. 1. cap. 2.

uenta, sed oracula diuina continere, testis primò est veritas vaticiniorum, &c. Secundò testis est incredibilis quædam & planè diuina conspiratio atque concordia, &c. Tertiò testis est Deus ipse, qui aliquando cælesti animaduersione Scripturam hanc suam ab humana profanatione defendit, &c; idque Theopompi exemplo probat Bellarminus, *Quartò testis est ipsa scriptura cuius si veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum & euentus posteà comprobauit: cur vera non sint rerum præsentium testimonia? &c. Postremò testis est infinitus propè numerus diuinorum miraculorum, quæ omnibus seculis facta sunt, ad ea dogmata comprobanda, quæ in his literis continentur. Quare quum Sacra scriptura regula credendi certissima tutissimaque sit, sanus profectò non erit, qui ea neglecta Spiritus interni, sæpè fallacis & semper incerti, iudicio se commiserit.* Eadem accuratius & plenius à Scoto recensentur & ex eo in Resolutione Theologorum super sententias: & à * Thoma Aquinate contra gentes. Quare vestræ doctrinæ omninò obliti & principiorum Theologiæ ignari esse videbimini, quum ea quæ aduersus Scripturæ hostes rectè, quam-

Procemio in magist. senten. Procemio in sentent. qu. 2. *Lib. 1. cap. 6.

uis

uis minus plenè, præstruxistis: ea postmodum, consueta vestra quæstione (vbi Euangelium Matthæi & Marci in scripturis diuinis commendatur?) destruatis. Qua de re celebris impudentiæ est Hosij cardinalis sententia, qua impium illud dictum, *Scripturas valere quantò fabulas Æsopi, si destituantur auctoritate ecclesiæ*, excusare studet, & addit: *Nam reuera nisi nos Ecclesiæ doceret auctoritas hãc scripturã esse canonicã, perexiguum apud nos pondus haberet.* Ex quo impuro Hosij fonte Enchiridij tui tubos multis in locis irrigasse videris. Nam vt hæc (quam refutaui) quæstionis pars indigna Theologo est, sic altera multò indignior de Euangelijs Nicodemi & Thomæ. Quæris enim *vbi Euangelium Matthæi & Marci in scripturis diuinis, potius quàm Nicodemi aut Thomæ, commendatur?* Quasi verò non totius Veteris & Noui Testamenti comparatio, & ex demonstrationes, quas modò adduximus id perspicuè ostendant. Vt enim curuum non solùm sensu, sed etiam applicatione regulæ arguitur non esse rectum; sic ficta illa, sub Nicodemi &

Confess. prolegom. [illegible] lib. 3.

Thomæ nominibus, Euangelia, Sacræ ſcripturæ comparata, manifeſtæ falſitatis conuincuntur: quia omnia illa quæ ſcripturam ſacram demonſtrant, & Matthæi & Marci Euangelijs congruunt, priuilegia, ijs deſunt. Quibus demonſtrationibus orthodoxi patres vſi, ea vera Euangelia confirmarunt, ficta reſpuerunt. Quemadmodum Auguſtinus ait, *Infelices inimici animæ veſtræ, quæ vnquam literæ vllum habebunt pondus auctoritatis, ſi Euangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? De quo libro certum erit, cuius ſit, ſi literæ, quas Apoſtolorum dicit & tenet eccleſia, ab ipſis Apoſtolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, vtrum Apoſtolorum ſint, incertum ſit, & hoc erit certum, ſcripſiſſe Apoſtolos, quos huic eccleſiæ contrarij hæretici proferunt auctorum ſuorum nominibus appellatos, longè poſt Apoſtolos exiſtentium. Quaſi verò in literis ſecularibus, non fuerint certiſsimi auctores, ſub quorum nominibus poſtea multa prolata ſunt, & ideò repudiata, quia vel his, quæ ipſorum eſſe conſtaret, minimè congruerunt; vel eo tempore, quo illi ſcripſerint, nequaquam innoteſcere, & per ipſos, vel familiariſsi-*

Contra Fauſtum lib. 33. cap. 6.

liarißimos eorum in posteros prodi commendarique, meruerunt. Et idem de consensu Euangelistarum: *Cæterique autem homines, qui de Domini, vel de Apostolorum actibus aliqua scribere conati sunt, non tales vel suis temporibus extiterunt, vt eis fidem haberet ecclesia; atque in auctoritatem canonicam Sanctorum librorum eorum scripta reciperet: nec solùm quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret, sed etiam quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, quæ Catholica atque Apostolica regula fidei & sana doctrina condemnat.* Sic ante Augustinum Ambrosius, *Sicut multi in illo* (Iudæorum) *populo diuino infusi Spiritu prophetauerunt: alij autem prophetare se pollicebantur & professionem destituebant mendacio. Erant enim pseudoprophetæ potius quàm prophetæ: sicut Ananias filius Azot: erat autem populi gratia discernere Spiritus, vt cognosceret quos referre deberet in numerum prophetarum: quos autem, quasi bonus nummularius, improbare: in quibus materia magis corrupta sorderet, quàm veri splendor luminis resultaret. Sic & nunc in Nouo Testamento multi Euangelia scribere conati sunt, quæ boni nummularij non probarunt.* In quo numero

Lib. 1. cap. 1.

Proœmio in Lucam.

numero refert Euangeliũ Thomæ, &c. Nec immeritò: quia id à Manichæis conscriptum fuit; quemadmodum Cyrillus Hierosolymitanus ait; *Scripserunt & Manichæi Euangelium secundùm Thomam, quod suaui Euangelici nominis odore coloratum, simpliciorum animas perdit.* Et Hieronymus ait, plures fuisse qui Euangelia scripserunt, *quæ* (inquit) *à diuersis auctoribus edita diuersarum hæresium fuerunt principia: vt est illud, Iuxta Ægyptios: & Thomam & Matthiam & Bartholomæum, duodecim quoque Apostolorum & Basilidis atque Apellis & reliquorum, quos enumerare longißimum est: quum tantùm in præsentiarum hoc necesse sit dicere, extitisse quosdam, qui, sine Spiritu & gratia Dei, conati sunt magis ordinare narrationem, quàm historia texere veritatem.* Optimè verò Eusebius; *Quæ sub nomine Apostolorum, siue Petri, siue Thomæ, vel Matthiæ, vel aliorum præterea Euangelia: aut veluti Andreæ & Iohannis aut aliorum Apostolorum acta continentia ab hæreticis proferuntur, quorum nullam vspiam, vel aliquis ecclesiasticæ successionis scriptor mentionem in commentarijs suis facere dignatus est. Porrò & phra-*

Catech. 4.

Proemio in Matthæum.

Ecclesiast. Histor. lib 3. cap. 22.

& phraseos character à consuetudine Apostolica variat, & ipsa sententia, & propositum eorum quæ in illis adferuntur plurimum à veritate rectæ doctrinæ discrepant, & quod hæreticorum sint virorum figmenta perspicuè conuincunt. Quapropter ne inter adulterina quidem ponenda, sed tanquam omninò absurda & impia, auersanda sunt. Ecce habes nunc, Costere, de Euangeliorum verorum auctoritate, & à fictis discrimine demonstrationes solidas, copiosas, perspicuas: quibus si (vt optamus) acquieueris, erit quod Deo gratias agamus: sin minus eueniat, saltem attentis & pijs lectoribus satisfactum & Iesuitarum impiam & imperitam, in primo religionis fundamento, impudentiam, perspicuè conuictam esse apparebit. Quamobrem hac secunda aduersus Sacræ scripturæ perfectionem ratione multis modis refutata, ad tertiam pergamus. Obijcis enim; *Vbi habetur, Duodecim articulos fidei ab Apostolis esse Ecclesiæ relictos?* Verùm, id non est ad salutem necessarium, vt credamus symbolum ab Apostolis esse conflatum: sed satis est doctrinam symboli, tanqum ex Dei verbo

verbo haustam & doctrinæ Apostolicæ consentaneam, amplecti. Quandoquidem non aliunde, quàm ex Sacris literis petitum & concinnatum est. Vnde Episcopus vester ait; *Symbolum etiam dictum à collectione articulorum ex diuersis locis scripturæ.* Et Augustinus; *Ill verba* (symboli) *quæ audistis per diuinas scripturas sparsa sunt, inde collecta & ad vnum redacta ne tardorum hominum memoria laboraret.* Idem etiam docet Cassianus de incarnatione lib. 6. Quarta, qua scripturæ perfectionem oppugnas, ratio hæc est; *Præterea formas multorum Sacramentorum iustis de causis ait B. Dyonisius Areopagita esse suppressas.* Verùm prudentius Dyonisij testimonium silentio suppressisses. Primùm, quia huius scriptoris fides parui merito, in fidei dogmatis, æstimanda est. Nec enim (vt, falsam inscriptionem secutus, opinaris) idem est Dyonisius ille Areopagita, cuius Acta Apostolorũ meminerunt sed multò recentior auctor, & à puritate ac simplicitate Apostolica remotissimus: quemadmodum accuratè & perspicuè à multis demonstratũ est: & quatuor insignes

Durandus in Lombardum lib. 3. dist. 25 quæst. 2.

Ad Catechumenos de Symb. lib. 1. cap. 1.

Actor. 17. 34.

signes rationes initio bibliothecæ Photij referuntur. Nec magnam in multis, apud vos, illius esse auctoritatem, maximum plurimarũ superstitionũ (quas tanquam necessarias & diuinas cõmendat) cum Pontificiæ Ecclesiæ consuetudine dissidiũ, perspicuè euincit. Quod non solùm ex mutua eorum comparatione: sed etiam ex ingenua Ambrosij monachi vestri confessione ac demonstratione apparet. Deinde nõ solùm testis, quẽ adducis, fide indignus est; sed etiam testimonium illius mala recenses fide. Ait quidem, eo quem citas loco, Dyonisius; *Precationes mysticas fas non est scripto interpretari: neq; ipsarũ arcanum, siue illas quæ in his ex Deo fiunt virtutes, ex adyto in publicum efferre.*: sed ijs verbis agit tantùm de superstitiosis precibus in mortuorum sepultura adhibitis: non autem de multorum Sacramentorum formis vt falsò affirmas. Præterea si preces funebres vllas (vt Dyonisius censet) nefas est scripto interpretari; cur omnes huiusmodi preces vestras (vt etiam Ambrosius monachus agnoscit & res ipsa testatur) varijs libris tradidistis?

Scholijs in Dionysium de Eccl. Hierarchia.

Ibidem.

didistis? Quare hoc tuum argumentum omninò est *ἀπροσδιόνυσον*. Quod verò addis *eodem pertinent difficilium & dubiarum scripturarum interpretationes, quas in varios sensus hæretici trahunt*, illud, in quæstionæ de scripturæ præstantia, prolixius abs te propositum, & plenius à nobis refutatum est. Ad sextam igitur rationem procedamus. Ais enim *B. Augustinus ad Apostolicam traditionem extra scripturã refert Baptismum paruulorum*: sed iterum mala vteris in patribus citandis fide. Ait quidem Augustinus Baptismum paruulorũ esse *traditionem Apostolicã*; sed falsò assuis, *extra scripturã*: Verba enim Augustini sunt, *Cõsuetudo tamen matris ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neq; omninò superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Quod autem non intelligat traditionem extra Sacras literas, alibi sese exponit, quum pædobaptismum aduersus Donatistas ex Sacris literis comprobat. Deinde quamuis ea, quam fingis, fuisset Augustini sententia, fidem tamen, quum Dei verbo repugnet, minimè mereretur. Consule

De Baptismo lib. 4. cap. 24.

Ponti-

Pontificum Romanorum decretalia, & comperies Innocentium tertium infantum Baptismum Sacris literis confirmare. Idem quatuor argumentis demonstrat antesignanus vester Eccius: & Iesuita Bellarminus, *hanc veritatem, in scriptura tribus argumētis, probari* docet. Et tandem subijcit; *Licet enim non inueniamus expressè mandatum, vt baptizemus infantes: tamen id & colligitur satis apertè ex scripturis, vt supra ostendimus.* Estne igitur baptismus infantū traditio extra scripturam? Sed ea iterum Pontificiæ doctrinæ, iusto Dei iudicio, inconstantia est: vt quæ rectè aduersus Anabaptistas manu ædificastis dextra, eadem posteà insana quadam cæcitate, in errore vestro aduersus scripturæ perfectionem propugnando, sinistra diruatis. Cæterùm obijcis nobis postremò *Basilium aliosque patres multa alia enumerasse, in quibus ad hoc primum scripturæ genus confugerint, inuitis omnium ætatum hæreticis.* Verùm ad Basilium respondeo; primùm de fide illius loci non constare: quandoquidem ineptus quidam veterum scriptorum interpolator, pannos

Decret. lib. 3. tit. 42. cap. 3. Maiores.

Enchirid. loco. cap. 30. Lib. de Baptismo. cap. 8.

Cap. 9.

ſuos & nænias Baſilij purpuræ (vt Eraſmus doctè cenſet) intertexuit. Deinde nec vobis quidem omnia poſſe probari, quæ eo in loco ſtatuuntur, & ſacris literis aduerſari, res ipſa demonſtrat: quoniam ritus, partim liberos, partim ſuperſtitioſos, *eandem*, cum Sacrarum literarum dogmatis, *habere vim ad pietatem, adeò vt ijs reiectis fidei prædicatio ad nudum nomen contrahatur*, aſſerit. Cuiuſmodi ritus ſunt, ſignatio crucis, trina in Baptiſmo merſio, conuerſio inter precandum ad Orientem, & ſtatio inter precandum diebus Dominicis & à Paſchate ad Pentecoſten, &c. Quæ ſigillatim copiosè ac doctè à laudatiſſimæ memoriæ theologo D. Withakero refutata ſunt. Quibus confirmandis, vt alia etiam addamus adiumenta, attende, quàm ineptis rationibus Baſilius traditionum, quas recenſet, originem tueatur. *Omnia* (inquit) *quæ nec intueri fas erat non initiatis, qui conueniebat horum doctrinam publicitus circumferri ſcripto?* Item, *hæc eſt ratio, cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio, propter aſſuetudinem, vulgò veniret in contemptum.*

Diſput. de Sacra ſcriptura. qu. 6. cap. 12.

temptum. Quasi verò hac ratione non summa religionis mysteria, de trinitate, de incarnatione filij Dei & conceptione ex Spiritu Sancto, natiuitate ex virgine, de Christi crucifixione, resurrectione, ascensione in cælum, sessione ad dextram Dei, reditu ad judicium, de prædestinatione, de meritis mortis Christi, de remissione peccatorum, Baptismo, Cæna Domini, carnis resurrectione & vita æterna: quasi inquam non hæc & similia summa religionis mysteria (quæ Ethnicis semper fuere ludibrio Iudæis offendiculo) si ea ratio valeret, sine literis tradi potius debuerunt, quàm istiusmodi, quos recenset ritus? Nec quidquam ad rem facit, quod Mosis exemplum prætendit, qui non omnia, quæ erant in templo, passus sit omnibus esse peruia. Ex eo enim nihil aliud demonstratur, quàm, distinctionem illam templorum, ex Iudaicarum ceremoniarum per Christum abolitarum superstiosa imitatione, promanasse. Imò Mosis exemplum pro nobis omninò facit. Nam quamuis non omnia, quæ in templo erant, passus sit

1. Cor. 1.

omnium aut pedibus teri, aut oculis perlustari: totam tamen liturgiam sacrum & tabernaculi faciem, intimaque secreta accuratissimè scripsit. Præterea, si hæ rationes valerent, tum sanè temerariè fecisset & violati mysterij reus esset Basilius, Dyonisius, alijque, qui huiusmodi traditiones suis scriptis diuulgarunt. Grauissimè verò Ecclesia Romana iam ab aliquot seculis peccaret, quæ Eucharistiæ administrationem, reliquosque ritus sacros, omnibus spectare volentibus libertatem permittit, & concionibus ac scriptis publicè proponit. Quorum vtrumque nefas esse, hoc Basilij loco asseritur. Quare ex hisce omnibus apparet huius quem ex Basilio adducis loci, ab imperito aliquo homine corrupti, auctoritatem non esse magni faciendam. Verùm quamuis denique genuina hæc fuisset Basilij hoc loco & tempore sententia, quia humanum est errare, & veritas errori præferenda est; à Basilio hoc in loco aberrante, ad rectius multis in locis definientem prouocaremus; *Manifestus* (inquit) *est fidei lapsus, & liquidum superbiæ*

Sermone de fide.

biæ vitium, vel respuere aliquid eorum quæ scriptura habet, vel inducere quidquam, quod scriptum non est, quum Dominus noster Iesus dicat; Oues meæ vocem meam audiunt, & præmiserit; Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab illo, quoniam non norunt vocem alienorum. Et Paulus, per humanum exemplum, vehementer prohibeat aliquid in scripturis diuinis addere vel demere: quum dicit: Hominis testamentum corroboratum nemo reprobat, aut aliquid illi superstruit. Proinde quamcunque alienam à doctrina Domini vocem ita nos semper & nunc, fugiendam esse cognouimus. Et Paulò antè; *Fidi verò ministri proprium esse, scitis planè & ipsi, vt quod in conseruos dispensandum ab optimo Domino concreditum habet, hoc illis seruet purum ac syncerum. Itaque & ego quæ ex scriptura diuina agnoui, hæc vobis pro bene placito Dei, ad communem vtilitatem, proponere debeo. Si enim Dominus ipse, in quo bene placitum est Patri, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, qui omnem potestatem & omne iudicium à patre accepit, Mandatum* (inquit) *mihi dedit, quid dicam & quid loquor: & iterum; Quæ igitur ego loquor sicut dixit mihi Pater,*

sic loquor: Et, Spiritus Sanctus à seipso non loquitur, sed quaecunque audit ab ipso, haec & loquitur: quanto magis nobis pium scilicet est & cautum, hoc sentire & facere in nomine Domini nostri Iesu Christi. Nec alibi aliter docet Basilius. Nam in definitionibus contractis ait; *Necessarium enim est & consonũ, ut ex Sacra quisque scriptura, quod necesse sit, discat, cùm ad Dei cultus plerophoriam, tum ne assuescat humanis traditionibus.* Et postea; *Erga Deum animatus debet esse, tanquam minister Christi & dispensator mysteriorum Dei, metuens ne quid, praeter voluntatem Dei in scripturis certò expressam, vel dicat, vel instituat, & inueniatur falsus testis aut sacrilegus, in eo quod inducit alienum quid à doctrina Dei, aut omittat aliquid placitorum Dei.* Et alibi; *Si enim quidquid ex fide non est, peccatum est, sicut dicit Apostolus: fides verò ex auditu, auditus autem per verbum Dei est: Ergo quidquid extra diuinam scripturam est, cùm ex fide non sit, peccatum est.* Ex hisce omnibus constat Basilium, non minus doctè quàm perspicuè Pontificiorum errorem refutare. Quòd verò Augustinum epist. 3. ad Volusianum, ad oram libri

Quaest. 95.

Ibid. qu. 98.

Ethicorum fine quaest. 3.

libri testem indicas, iterum malam tuam in patrum scriptis fidem prodis. Nam quod ille in ea epistola ait, *de me mihi magis quàm ulli alteri credas:* id in huius loci citatione, si quis obseruarit, & Augustino potius, quàm tibi crediderit, animaduertet quàm primùm, illum duas ad Sacrarum literarum laudem sententias adferre; de traditionibus verò non scriptis, omninò silere. Itaque nulla est (vt censes) hæresis aut impudentia, sed diuina veritas & orthodoxa patrum doctrina, quòd Sacris literis non solùm præcipua sed etiam omnia fidei & vitæ Christianæ ad salutem necessaria dogmata contineri, affirmamus.

COSTERVS.

OBIECTIONES HÆRETICORVM.

PRIMA est ex cap. 20. Iohannis; *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine*

mine eius: Ergo omnia quæ ad fidem pertinent ſcripta ſunt.

SOLVTIO.

CONSEQVENTIA non valet, ſed inferendum potius erat; Ergò ea literis teſtata fuerunt à Iohanne de Chriſto, quæ ad ſalutem erant ſçitu omnibus neceſſaria: quod vltrò damus. Plura autem ad fidem pertinent, quàm omnes noſſe teneantur. Pauca capita nouiſſe ſufficit ad ſalutem: de reliquis ſatis eſt, contrarium pertinaciter non tueri. His porrò verbis beatus Iohannes *indicare* videtur, quid ſe ad ſc*ridendum* Euangelium mouerit, nempè vt ſe aduerſus hæreticos (maximè Cerinthum & tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe) diuinam ipſius naturam commonſtraret: quod ait ſe abundè enumeratione miraculorum fecisse.

GOMARVS.

HACTENVS quæ contra Sacrarum literarum perfectionem abs te diſputata ſunt, confutauimus: ſupereſt, vt ar-

vt argumenta, quæ ab orthodoxis proferuntur, à responsione tua vindicemus. Quum autem plurima sint & illustria, duo tantùm selegisti, quæ *hæreticorum obiectiones*, censoria auctoritate, appellas: sed quàm iniquè, ex sequentibus constabit. Ac primum quod ea quæ ad salutem scitu omnibus necessaria sunt & ad eam sufficiunt à Iohanne tradita esse vltrò concedis, lubenter amplectimur, atque hoc pacto sententiam nostram confirmamus. Quod continet ea quorum notitia ad salutem sufficit, in eo nihil scitu necessarium desideratur; quia hæc contraria sunt: atqui Sacræ literæ, ex tua confessione, sunt eiusmodi: ac propterea falsò ante statuisti, in ijs multa scitu necessaria desiderari. Atque id etiam confirmat patrum consensus. Ac primùm Augustini; *Nam quum multa fecisset Dominus Iesus non omnia scripta sunt, sicut idem ipse Sanctus Euangelista testatur, multa Dominum Christum & dixisse & fecisse quæ scripta non sunt: electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Deinde Cyrilli; *Non igitur omnia,*

In Iohannem tractatu 49.

In Iohannem lib. 12. cap. 68.

nia, quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes, tam ad mores, quàm ad dogmata, putarunt sufficere, vt recta fide & operibus rutilantes ad regnum cælorum perueniamus, in Domino nostro Iesu Christo. Cæterùm quòd ais; *Plura autem ad fidem pertinent quàm omnes nosse teneamur*, nihil dici potest inconstantius. Nam *ad fidem pertinere*, & *quod nosse teneamur* idem valere in statu quæstionis & explicatione illius satis declarasti. In ijs enim hæc tria, *quæ credere oportet*, *Quæ ad fidem pertinent*; *Omnia creditu & scitu necessaria*, eodem sensu abs te proposita sunt. Sed, inquis, *pauca capita nouisse sufficit ad salutem, de reliquis verò satis est contrarium pertinaciter non tueri*. At quænam ea sunt capita? nonne quæ symbolum Apostolorum præscribit? At illa omnia creditu necessaria continere, & præcipua quidem capita apertè, reliqua necessaria consequentia, communi orthodoxorum patrum consensu constat. Vnde *fidem* & *regulam fidei* communiter appellarunt. Quamobrem recta est consequentia. Quod verò subijcis; *Iohannes indicare videtur quid se ad scribendum*

dum

dum Euangelium mouerit; benè mones: sed quod ais; *nempè vt aduersus hæreticos (maximè Cerinthum & tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum antè Mariam non fuisse) diuinam ipsius naturam, commonstraret, quod ait se abundè enumeratione miraculorum fecisse:* id, inquam, minus benè asseritur. Nec enim de miraculis solùm loquitur Iohannes quum ait; *hæc autem scripta sunt*, sed de ijs, & reliquis omnibus quæ antecedunt: nec hæreticos solùm refutandos sibi proposuit; sed eadem opera doctrinam fidei Christianæ accuratè docere. Nam quemadmodum quum Paulus de summa euangelij ait, *non iudicaui me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum & hunc crucifixum*; ita, & Iohannes vniuersam Euangelij doctrinam fide ea, qua Iesum esse Christum filium Dei credimus, summatim complexus est. Itaque meritò statuimus omnia fidei Christianæ dogmata Euangelio Iohannis contineri. Rectè enim ait Cyrillus; *Exquisita profectò est diuinitusque defluxa omnium Euangelistarum doctrina. Nam quum, quasi ab alta specula, cuncta circumspiciat, auditorum*

1.Cor. 2.1.2

Præfatione in Euangelium Iohannis.

rum undique commodum, ita diligenti studio colligit; ut qui veritatem diuinorum sitiunt dogmatum (si recto animo scripturarum sensum inquirunt) facilè quidquid eis conferat, in ea inueniant. Et Chrysostomus de Iohanne ait. *Quæ omnia hic nobis Euangelista accuratè explicat, quum ipsi regi incredibili sit amore deuinctus: imò, & ipsum in se loquentem contineat, audieritque ab eo quæcunque ipse à Patre acceperit: vos dixi amicos* (inquit) *quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Quare asserta iam prioris argumẽti nostri veritate, ad alterum procedamus

In Euangel. Ioh. prologo.

Iohan. 15.

COSTERVS.

SECVNDA.

ACTORVM primo; *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsque in diem, qua præcipiens Apostolis, per Spiritum Sanctum quos elegit, assumtus est:* ergo omnia Christi facta dictaque literis mandata sunt.

SOLVTIO.

SOLVTIO.

CONSTAT beatum Lucam, non omnia scripsisse, quæ Iesus fecit, aut docuit, quum vix quicquam eorum, quæ B. Iohannes suo Euangelio comprehendit, ipse attigerit. Veluti de * cæco nato de † paralytico ad probaticam piscinâ curato, de ‡ aqua in vinum cõuersa, de * Lazaro suscitato: præterea insignia illa colloquia habita cũ † Nicodemo, cum ‡ Samaritana, cũ * Capharnaitis Ioh. 6. & cum Apostolis, absoluta Cœna agni Paschalis. Neque sic loquitur B. Lucas: *scripsi omnia:* sed *sermonem feci de omnibus, quæ cœpit Iesus facere & docere:* hoc est, (vt beatus Chrysostomus interpretatur) summatim aliquid de omnibus attigi, quibus satis constare omnibus possit, quis vir fuerit, & qualis noster Iesus.

* Iohan. 9. 1.
† Iohan. 5. 5.
‡ Iohan. 2. 9.
* Ioh. 11. 49.
† Ioh. 3. 1.
‡ Ioh. 4. 7.
* Ioh. 6. 26.
Actor. 1. 1.

GOMARVS.

AGNOSCO quidem argumentum nostrum, Costere, in antecedente: sed fraudem tuam in cõclusione illius. Non enim omnia Christi facta dictaque

que literis mandata vnquam *docuimus*, sed ea tantùm quæ saluti nostræ sufficerent. Quemadmodum Glossa vestra interlinearis rectè interpretatur, *omnibus modis doctrinæ & quantũ singulorum fidei sufficit sacerdotum.* Itaque quod pluribus probare cõtendis, non omnia, Christi dicta factaque Euangelio contineri, operam omninò perdis. Magnum profectò & perspicuum malæ causæ vestræ indicium. Nec meliori fide Chrysostomi interpretationẽ adducis. Hæc enim expressa illius sunt verba; *Non dixit omnia, sed de omnibus: perinde ac si quis dicat summatim & in genere, aut de omnibus loquitur, quæ necessaria sunt vrgentque.* Itaque quod de tuo hæc allinis, *quibus satis constare omnibus possit, quis vir fuerit, & qualis noster Iesus*, & Chrysostomo iniuriam facis & lectori fucum. Atque hanc de huius loci interpretatione & Euangeliorũ perfectione sententiam, ipsemet Lucas, initio sui Euangelij, apertè probat, & vestri interpretes fatentur. *Visum* (inquit) *est & mihi assecuto omnia à principio, diligenter ex ordine tibi scribere, Optime Theophile: vt cognoscas eorum*

In Actor. 1.

Luc. 1. 3. 4.

rum

rum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Ad quem locum Lyranus ait: *accipitur hîc omnia: quod scripsit de omnibus necessarijs, quorum notitia erat necessaria ad salutem.* Quare hæc argumenta nostra aduersus responsiones tuas inuicta perstant. Cæterùm plurima alia à nostris adducuntur, quibus Sacrarum literarum perfectio demonstratur. E quibus quædam ad veritatis illustrationem proferemus. Primum est ex Mose; *Non addetis ad verbum hoc, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et expressiùs; *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Qua de re conuenienter & doctè episcopus vester Durandus ait; *Sacra Scriptura est regula fidei, cui non licet aliquid addere vel minuere, secundùm id quod habetur, Deut.* 4. *Non addetis ad verbum quod ego loquor vobis nec auferetis ab eo.* Et alibi; *Modus enim est non excedere mensuram fidei. De qua dicit Apostolus Rom.* 12. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Quæ quidem mensura in duobus consistit videlicet, vt non subtrahatur fidei, quod sub*

In Luc. cap. 1.

Deut. 4. 2.

Deut. 12. 32.

In magistr. Sentent. lib. 3. dist. 25. qu. 2.

Ibid. in præfat lib. 1.

sub fide est, nec attribuatur fidei illud, quod sub fide non est. Vtroque enim modo mensura fidei exceditur, & à continentia Sacræ scripturæ, quæ fidei mensuram exprimit, deuiatur. Alterum, ex Esaia & Christo; *Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Tertium, ex Christi testimonio: *Scrutamini scripturas: quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Quartum ex Apostoli Pauli confessione petitum est huiusmodi; Quod omnia continet quæ Paulus Apostolus docuit, illud habet omnia fidei & charitatis dogmata, quæ ad salutem necessaria sunt: quia Paulus ait; *Vos scitis, vt nihil subterfugerim eorum, quo minus ea vobis annunciarem & docerem vos.* Item; *Non enim subterfugi, quo minus annunciarē omne consilium Dei vobis.* At verò Sacræ literæ omnia ea complectuntur quæ Paulus docuit, quemadmodū ipse aperte profitetur; *Auxilium à Deo nactus perstiti in hunc vsque diem, testificans tum paruis tum magnis, nec quidquam dicens extra ea, quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt.* Quamobrem, quis de Scripturarum perfe-

Esa.29.13. Matth.15.9.

Iohan.5.39.

Actor.20.20.

Actor.20.27.

Actor.26.22.

perfectione, merito dubitet? Quintum, ex eodem, argumentum est; Quod nos potest sapientes reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christum Iesum, illud omnia quæ ad salutem necessaria sunt, comprehendit. Quare, quum Sacræ literæ, teste Apostolo, sint eiusmodi, sequitur omnia in ijs, quæ ad salutem necessaria sunt, contineri. Sextum argumentum est, quod hominem Dei perfectum reddit ad omne opus bonum perfectè instructum, in eo nihil ad salutem necessarium deest. Paulus verò hanc laudem Sacris literis expressa sententia asscribit: quam Sanctus vester Thomas Aquinas, (quem Angelicum doctorem & optimum Pauli interpretem vulgo nominatis) eodem modo interpretatur; *Sic ergo quadruplex* (inquit) *effectus Sacræ scripturæ: scilicet, docere veritatem: arguere falsitatem quantum ad speculatiuam: eripere à malo & inducere ad bonum, quantum ad practicam: vltimus eius effectus est, vt perducat homines ad perfectum. Non enim qualitercunque bonum facit, sed perficit. Heb. 6. Ad perfectionem feramur. Et dicit, vt perfectus sit*

2.Timot.3.15.

2.Timoth.3.15.

Comment. in 2.Timoth.3. lect.3.

homo Dei: quia non potest esse homo perfectus, nisi sit homo Dei. Perfectum enim est cui nihil deest. Nec aliter Chrysostomus ad illa Christi verba, (*Scrutamini scripturas*) exponit; *Ad quarum* (scripturarum) *eos testimonium relegat. hoc nos exemplo, aduersus hereticos, hinc arma sumamus. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendũ, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus: non alijs abundet: alijs careat: hic enim non est perfectus.* Ergo Sacræ literæ omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, perfectè comprehendunt. Vnde *fidei canonem, mensuram, stateras, fundamentum & Dei testamenta* (quibus nihil addi aut demi potest) Deo præuio, Ecclesia Dei, semper appellauit. Ac propterea celebratur meritò apud omnes illud Hieronymi dictum; *Quia hoc de Scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Tanta denique huius rei est perspicuitas, vt Pontificiorum celeberrimi doctores idem asserant. Nam præter Thomam & Durandum quorũ iam memini, Scotus id

Comment. in Iohan 5. Homi. 39.

2. Timoth. 3. 16.

Gal. 3. 17.

In Matth. 23.

In Sent. 1. lib. 1. prologi, quæst. 2.

expressè

expresſè docet, &, ex Scoto, Reſolutio Theologorum ſuper ſententias ait; *His præmiſsis ponitur talis concluſio; Doctrina ſupernaturalis nobis neceſſaria, vtiliter & ſufficienter, habetur in ſacra ſcriptura.* Idemque ante ſex annos Doctor Eleutherus Albergonus Mediolanenſis Theologus in Reſolutione doctrinæ Scoticæ, repetiuit.

Tract. 1. proœmij qu. 2.

Prolog qu. 2.

CAPVT VI.

Et quibus omnibus meritò concludimus diuinã eſſe Sacrarum literarum perfectionem. Quare ad facilitatem excutiendam pergemus.

COSTERVS.

Sitne Scriptura facilis intellectu.

MVLTA in Sacris literis eſſe perſpicua negandum non eſt: omnia autem eſſe huiuſmodi, vt ſine labore à quouis intelligi poſſint, etiam illa loca, quæ dogmata fidei continent, cum experientia pugnat. Sufficient pauca exempla: 1. Pet. 3. 19. *In quo & his qui in carcere * erant ſpiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando,*

* Error, nam in Græco tantùm eſt, *qui in carcere*, nempe ſunt, non autem erant.

quando, quando expectabant patientiam Dei in diebus Noë. 1. Cor. 15. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Rom. 10. 6. *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere: aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit scriptura? Propè est verbum in ore tuo,* 1. Cor. 3. 15. *Ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Beatus Petrus fatetur in epistolis Paulinis *multa esse difficilia, quæ indocti deprauant.* Ac proinde (vt B. Augustinus *auctor est*) B. Iacobus Apostolus ad correctionem eorum, qui beatum Paulum malè intellexerant de iustificatione ex fide loquentem, epistolam suam conscripsit. Quod etiam reliquos Apostolos fecisse B. Augustinus libro de fide & operibus affirmat, his verbis; *Quia hæc opinio de sola fide tunc fuerat exorta aliæ Apostolicæ literæ Petri, Iohannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse.*

Vide August. lib. de fide & operib. cap. 15.

2. Petr. 3. 16.

Lib. 83. qu. 76. Et præfat. Psal. 31.

Cap. 14.

GOMA-

GOMARVS.

QVEMADMODVM in superiori quæstione proponenda mala vsus es fide: sic, in facilitate sacratum literarum oppugnanda, tui & reliquorum Pontificiorũ dissimilis esse noluisti. Nec enim ea (quam fingis) inter nos est controuersia; *An omnia in Sacris literis adeò perspicua sint, vt sine labore à quouis intelligi possint, etiam ea loca quæ fidei dogmata continent?* (quis enim adeò imprudens, aut impudens esse possit, quin multa in sacris literis obscura esse fateatur?) sed, *an omnia fidei & vitæ Christianæ ad salutem necessaria dogmata, perspicuè in sacris literis reperiantur, adeò vt ad veritatem salutarem certò cognoscendam sibi ipsæ sufficiant?* Nostri, ex verbi diuini sensu & orthodoxo patrum consensu, id affirmant & confirmant. *Lex Domini* (ait Dauid) *immaculata, conuertens animam; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et alibi. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Psal. 19, 8, 9. Psal. 119. 105

 Et Sa-

Prouer.6.23. Et Salomon. *Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ, increpatio disciplinæ.* Et
2.Petr.1.19. Petrus Apostolus; *Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat & lucifer oriatur in cor-*
2.Timoth.3, 15,16,17. *dibus vestris.* Et Paulus; *Tu verò permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris. Et quod ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. Tota scriptura diuinitus est inspirata & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionẽ quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* Contra verò Pontificij negant, omnia fidei & vitæ Christianæ ad salutem necessaria dogmata Sacris literis perspicuè contineri: ac conrta statuunt, sacras literas ad certam sui in salutaribus dogmatis intelligentiam, & ad controuersias, (quæ de ea re oriuntur) dirimendas non sufficere, sed ad vtrumque necessarias esse traditiones & patrum scripta: quemadmodum ex ijs, quæ supra in quæstione de scripturæ præstantia docuisti,

docuisti, perspicuè apparet. *Vnde (inquis) quando in religione quæstio mouetur de Christi diuinitate, de sanctorum inuocatione, de cultu imaginum, similibusque rebus, de quibus scriptura diuina in membrana relicta, quædam ad aliorum mentem dicere videtur, &c. inspicienda atque peruolutanda sunt viua in corde ecclesiæ diuinitus impressa & inusta monumenta, in quibus tanquam in clarissimis commentariis ac certissimis explanationibus acquiescere debemus.* Idem prolixius & apertius Martinus Peresius Guidixiensis episcopus exponit. Quare quum genuinum quæstionis statum compertum habeatis: magna profectò impudentia est, quod cum prudentes non dissimulatis solùm, sed etiam peruertitis omninò. Itaque quod multa Sacrarum literarum loca, etiam quæ dogmata fidei continent, difficilia esse probare studes, non nobiscum, sed cum vmbra tua, luctaris. Etsi enim nonnulla, etiam fidei dogmata, quibusdam in locis, vt exerceamur, proponantur obscurius, alibi tamen, ad salutem nostram, clarius explicantur. Deinde, quòd addis, *Petrum fateri in epistolis*

Pag. 46.

De diuinis traditionibus par. 1. De scriptura assert. 5.

Paulinis multa esse difficilia, quæ indocti deprauant: id à veritate alienum est. Nec enim ait *πολλὰ multa*, sed *τινα quædam*. Verùm licet ea esset Petri sententia, nostram tamen doctrinam minimè offenderet. Sed alia instas via.

COSTERVS.

PORRÒ ipsimet hæretici fateri coguntur multorũ locorum obscuritatem, dum scripturas quasdam contra ecclesiæ totius sensum *hactenus inauditis* adeoque *inter se pugnantibus interpretationibus* exponunt. *Vnica hæc* sententia; *Hoc est corpus meum*, catholicis significat verum Christi corpus sub panis specie in sanctissima Eucharistia adesse: Lutheranis verò, adesse cum corpore panem: Caluinistis autem, solum panem, sine corpore Domini. Similis est ratio scripturarum omnium, quibus ad suas hæreses confirmandas, variè hæretici abutuntur, quas catholica ecclesia, iam vsque ab *Apostolicis* temporibus ducta, pro fide orthodoxa interpretatur.

Veteres omnes ecclesiæ doctores agnoue-

agnouerunt scripturarum difficultatem: ad quas intelligendas B.Basilius & Nazianzenus tredecim annis in monasterio constiterunt. B.Hieronymus relictis negotijs Romanis in Bethlehē se contulit. S. Chrysostomus ab ipsomet B. Paulo Apostolo institutus legitur. Et B.Gregorius Pontifex à S.Sancto: quem Petrus Diaconus in columbæ specie ei in aurem vidit suggerentem, quæ in Ezechielem dictabat. B.Augustinus sic ait, lib.2.c.6.de doctrina Christiana; *Multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt scripturas aliud pro alio sumentes: quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur, non inueniunt, ita obscurè quædam dicta caligine obducunt.* Obscuritatibus hisce (ait idem B.Augustinus alibi) *non temerè à Spiritu sancto scripturas esse tectas, sed ob id maximè ne vilescant, & exerceant, vt pascant.* Vult enim Deus orationibus, meditationibus, & studijs suorum verborum intellectum communicari, non vanis, non ambitiosis, non mundo addictis.

Ruff. lib. 2. Hist. cap. 9.

Sentent. 67. Prosperi.

GOMARVS.

FATENTVR sanè nostri (quos iniquè *hæreticos* appellas) multorum locorum obscuritatem: sed quod eos *scripturas quasdam contra ecclesiæ totius sensum hactenus inauditis adeoq; inter se pugnātibus interpretationibus exponere* affirmas, qua ratione demonstrábis? *Vnica* inquis, *hæc sententia; Hoc est corpus meū, catholicis significat verum Christi corpus sub panis specie in sanctißima Eucharistia adesse.* Imò verò, veri catholici non speciem panis in cæna Domini, sed verum panem statuunt: nec Christi corpus, sub specie panis, in terris latere, sed in cælo gloriosè, ad iudicij diem permanere, ex Dei verbo, sensus experientia, & orthodoxa antiquitate agnoscunt. Contra verò Pseudocatholici Pontificij hisce omnibus repugnant, vt ex ijs quæ libro superiore demonstraui, apparet. Quare laudē veritatis promeretur Lutherus, quod errori vestro de specie panis renunciarit: sed in eo miseratione dignus, quod in doctrina de corporis Christi præsentia, veteris fermenti

Ponti-

Pontificij nonnihil reseruarit. Quod quum nostri perspicuo Dei verbo expurgarint, frustra sententiarum repugnantiam ad Scripturarum obscuritatem demonstrandam nobis obiectas. Nam, quod à nobis hac in re dissentiunt Lutherani, id nequaquam Sacrarum literarum arguit obscuritatem, sed erroris pontificij caliginem: vnde tandem, vt speramus, penitus emergent. Interea sanctè cum Augustino & antiquo Pontificum Romanorum decreto Christi verba exponimus; *Hic panis est Sacramentum corporis Christi.* Deinde, quòd ex diuturno Basilij, Gregorij Nazianzeni, & Hieronymi, ad sacrarum literarum intelligentiam comparandam studio, earundem colligis difficultatem, actum agis: sed vt aliquid obtineas, Costere, id quod in quæstione positum est, illis auctoribus proba, si potes. Non enim tam diu in Sacras literas incubuerunt, vt quæ ad salutem necessaria sunt, haurirent: sed, quod maioris difficultatis est, vt ad ecclesiam docendam sese cōpararent. Porrò, ne seria hæc sua careant fabula, *Chryso-*

De Consecratione distin. 2. Can. Hoc est.

stomus

stomus (ais) *ab ipsomet Paulo institutus legitur:* at vbi quæso? miror cur non idem de Thoma Aquinate sancto vestro adieceris, Bartholomæum de Spina Monachum secutus, qui ait: *Oranti suppliciterque deprecanti Thomæ ante crucifixi imaginem, vt de doctrinæ suæ soliditate certior fieri mereretur: voce patenti per os imaginis nonnullis fratribus, qui diuum doctorem orantem obseruare consueuerant, audientibus, respondit Christus; Benè scripsisti de me Thoma. Hoc ipsum alias beatissima virgo per os itidem suæ imaginis, quæ coram sanctus orabat, apertissimè protestata est. Beatissimi etiam senatus Apostolici principes, Petrus & Paulus, de passu dubio prophetæ, eundem plenius personaliter instruxerunt. Et per seipsum alias Paulus (vt fratri in spiritu rapto videre & audire concessum est) idem diuo Thomæ percunctanti, si in epistolis suis clarum habuerit intellectum, respondit; Quantum humanus capere queat intellectus.* Eiusdem farinæ est quod addis, *Beatum Gregorium Pontificem à Spiritu Sancto (quem Petrus Diaconus in columbæ specie ei in aurem vidit suggerentem, quæ in Ezechielem dictabat) institutum.* Quas omnes putidas

In 2.2. Thomæ Aquin. in præfatione.

das esse fabulas, ex Chrysostomi, Thomæ & Gregorij cum Sacris literis comparatione pluribus, si opus esset, demonstrari potest. Ac sanè per quàm absurdum est, quod ineptissima hæc figmenta tibi arriserint potius, quàm ipsiusmet Gregorij, non minus vera, quàm modesta, confessio, qua commentarios suos in Ezechielem, Ambrosij & Augustini scriptis, longo interuallo, postponit. In prooemio in Ezech. Quare si quid probare voles, semotis fabulis, quæ reipsa confutantur, seria argumenta propone, aut potius Chrysostomum (quem ab ipsomet Paulo institutum ais) de scripturæ claritate aduersus Pontificios testantē audi; *Et vos itaque si lectioni epistolarum Pauli, cum animi alacritate volueritis attendere, nullo alio præterea opus habebitis. Verus enim est sermo Christi, quum dicit; Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur.* Commentar. ad Rom. 1. Et alibi de Euangelio Iohannis, *Idcircò nulla caligine nullis tenebris suam operuit doctrinam, vt illi* (philosophi) *oratione sua prauis opinionibus obscuritatem, tanquam velum quoddam, indiderunt. Huius autem doctrina sole clarior est atque illustrior, ideoque in omnes* Comment. in Ioh. Hom. 1.

mortales

mortales propagata, &c. Omni eiecto ſtatus faſtigio atque illuuie, tanta doctrinam ſuam perfudit facilitate, vt non modò ſapientibus, ſed & mulierculis, adoleſcentulis, quidquid dixerit ante oculos poneret. Nec ea quá ex Auguſtino obijcis ſententia, nobis quidquam aduerſatur. Nam multa obſcurè in Sacris literis proponi, nemini dubium eſt: ſed an inde conſequitur, non omnia fidei & vitæ Chriſtianæ dogmata, ad ſalutem neceſſaria, in Sacris literis perſpicuè reperiri? Ea enim inter nos controuerſia eſt. Imò verò contrarium omninò, eodem in loco, docet Auguſtinus; *Magnificè & ſalubriter* (inquit) *S. Sanctus ita ſcripturas Sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim fere, de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.* Et poſtea; *In ijs, quæ aperte in ſcriptura poſita ſunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque viuendi ſpem ſcilicet atque charitatem.* Et alibi? *Inuitat omnes humili ſermone, quos non ſolum manifeſta paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens: ſed ne aperta faſti-*

De Doctrina Chriſt. lib. 2. cap. 6.

Cap. 9.

Epiſt. 3. ad Voluſian.

fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata suauiter intimantur. His salubriter praua corriguntur & parua nutriuntur & magna oblectantur ingenia. Quare ex hisce concludimus omnia fidei & vitæ Christianæ dogmata ad salutem necessaria perspicuè in S.literis reperiri, adeò vt, ad veritatem salutarem certò cognoscendam, sibi ipsæ sufficiant.

CAPVT VII.

Cæterùm quid de Sacrarum literarum lectione statuendum sit, excutiamus.

COSTERVS.

An vulgo permittenda sit scripturæ lectio.

BEATVS Iohannes Chrysostomus multus est in adhortandis suis ciuibus ad scripturarum lectionem, vt quæ omnibus datæ sunt, ab omnibus legantur. *Nec recedat volumen legis huius ab ore nostro, sed meditemur in eo diebus & noctibus, vt custodiamus & faciamus* Iof.1.8.

mus omnia quæ scripta sunt in eo, & dirigamus viam nostram, & intelligamus eam. De modo autem legendi est quæstio: An sic permittenda sit vulgo scripturarum lectio, vt simul penes omnes sit ius eas interpretandi? Quem quidem nodum non est difficile ex ijs, quæ paulò superius diximus, expedire. Si enim oracula diuina multis magnisque sunt obstructa difficultatibus, non quiuis vnus è populo, sed ij soli, qui magno studio & labore difficultatem omnem superarunt, erunt ad ea explicanda atque

Causæ obscuritatis scripturarum

euoluenda accommodati. Oritur autem obscuritas & difficultas varijs ex

1. causis: primò quidem ex difficultate rei, quæ tractatur: quam ob causam epistolæ B.Pauli præsertim ad Romanos & Galatas, multa ingenia magnorum virorum non parum fatigarunt.

2. Deinde ex phrasibus, vel Græcis, vel Hebræis, quibus plenæ sunt scripturæ

3. omnes. Præterea ex consuetudinibus quibusdam veteris ecclesiæ, certas ob causas paulatim mutatis. Quo modo totum caput decimum quartum primæ ad Corinthios est intricatum & quod

quod capite sequenti dicitur? *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* varios 1.Cor.15.29.
habet sensus. Rursus ex profunditate 4.
rei ipsius cęlestis & altitudine doctrinæ, quam mens imbecillis attingere nequit. Quis quæso intelligit, quod ad Ephesios scribitur; *Vt innotescat principibus & potestatibus in cælestibus, per ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundū præfinitionem seculorum quam fecit in Christo* Ephes.3.10.
Iesu Domino nostro. Et postea; *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum.* Ephes.3.18.
Denique ex mysterijs, quæ similitudinibus explicantur, quæ res facit, vt tota Apocalypsis B. Iohannis inexplicabili obscuritate lateat inuoluta. 5.

GOMARVS.

QVÆNAM hæc inconstantia est, Costere? amphora cœpit institui, currente rota cur vrceus exit? Quæstionem de Sacrarum literarum lectione præfigis, ac subitò, quasi tui oblitus, ad earum interpretationem desultas. Quæ sanè longè alia quæstio est: ac propterea distinctè explicari solet. Verùm

tamen quum scripturæ lectionem *non* modò licitam omnibus, sed etiã mandatam, agnoscas, in eo robur eluceat veritatis, cui frustra Pontificij doctores reluctantur. Nam quod ea de re controuersiam esse negas, eadem opera solem in meridie lucere negaueris. Sic enim in indice librorum prohibitorum à Pio quarto Pontifice decretum extat; *Quum experimento manifestum sit, si Sacra biblia vulgari lingua, passim sine discrimine, permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti quàm vtilitatis oriri; hac in parte iudicio episcopi, aut inquisitoris stetur, vt cum consilio parochi vel confessionarij, Bibliorum à catholicis auctoribus versorum lectionem, in vulgari lingua, eis concedere possint, quos intellexerunt, ex huiusmodi lectione, non damni, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse.* Eandem sententiam tuentur doctores vestri,* Peresius, † Bellarminus, & alij quàm plurimi. Sed quoniam te huius Pontificij erroris meritò pudet, & quasi deserto vadimonio Sacrarum literarum lectionem permittis omnibus, gratulor tibi, hanc correctionem, & Deum precor, vt te magis

Reg 4.

* De traditionibus par 1. assert. 3.
† De verbo Dei lib. 2. cap. 15.

gis

gis magisq́. extenebris Pontificijs educat. Ad interpretationem igitur transeamus. Ea autem est duplex; publica, quæ in Ecclesia publicè docenda consistit: & priuata, quæ in vsu priuato occupatur. Ad priorem, vocationem legitimam & doctrinam solidiorem, requirimus: ab altera verò neminem excludimus fidelium, qui donorum suorum mensuram minimè excesserit, &, adhibita diligentia, rectam interpretandi viam fuerit secutus. Contrarium verò Peresius & alij Pontificij doctores docent. Vtri autem verius & sanctius differant, quæstio est? *Quem nodum* (vt rectè mones) *nō est difficile ex ijs, quæ paulo superiùs diximus, expedire*: sed alia quàm arbitraris ratione. Nam quum ea quæ ad salutem necessaria sunt, satis perspicuè in Sacris literis reperiri, demonstratum sit, quis ab ijs pro modulo exponendis Christianos repellat? Quamuis enim ad maiores difficultates explicandas, non quiuis è populo accommodati sint, an propterea penitus, tanquam profani, aut iudicij expertes, ab omni Sacrarum literarum interpretatione arceri

Rom. 10. 15.
Tit. 1. 9.
Rom. 12. 6.

cceri debent? Quòd etiam causas obscuritatis multorum scripturæ locorum commemoras, id sententiam nostram non euertit. Sint sanè multa in Sacris literis difficilia, quæ etiam doctos exerceant: non pauca tamen adeò perspicua sunt, partim per se, partim fideli piorum & doctorum interpretum in Sacris literis conferendis industria, & rei experientia, vt etiam à vulgo, adhibita diligentia, intelligi, & vtiliter explicari possint. Nam (vt reliqua sileam) *quid in* Sacris literis obscurius *Apocalypsi Iohannis*? at tamen non *tota* (vt *falsò iudicas*) *inexplicabili obscuritate latet inuoluta*: sed multa complectitur, quæ partim sua luce perspicua, partim prophetiarum euentu illustrata sunt. Quare non omnis Sacrarum literarum interpretatio vulgo deroganda est, quòd ex sequentibus clarius constabit.

COSTERVS.

Scripturæ à magistris discendæ.

QVEMADMODVM igitur ars nulla sine magistro discitur, neque auctor etiam profanus sine studio intelligitur; ita nec Scripturæ cognitio, sine labore

labore & opera doctoris, haberi potest. Et sicut ne vilis quidem opifex in his, quæ artis suæ sunt, ab imperito illius artis viro, admoneri se patitur, sic admittendi non sunt ad Sacrarum rerum interpretationem, qui nō prius illis operam dederunt; ne meritò illis obiiciatur, tritum illud; *Ne sutor vltra crepidam.* Sicut enim in hac Ecclesiæ Republica distincta videmus officia sartorum, sutorum, fabrorum, lanionum, qui suis opificijs Christianos in Ecclesia adiuuant: ita ex Sacris literis discimus, *aliquos esse pastores & doctores ad consummationem Sanctorum in ædificationem corporis Christi.* Ephes. 4. 11.

GOMARVS.

FATEMVR, Costere, scripturæ cognitionem sine labore & opera doctoris haberi non posse: ac propterea meritò doctrinam Pontificiam auersamur, quæ hunc lectionis & examinis Sacrarum literarum laborem non omnibus permittit. Contrà verò in eo maximè occupamur, vt quosuis, ad serium diuini verbi studium, excitemus & in-

flammemus. Rectè enim Chrysosto-
De Lazaro Concione. 3. mus, *Magna aduersus peccatum munimen est scripturarum lectio, magnum præcipitium, profundum barathrum scripturarum ignoratio, magna salutis perditio nihil scire ex diuinis legibus. Ea res & hæreses peperit, & vitam corruptam inuexit. Hoc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, non potest, inquam, fieri, vt quis sine fructu discedat, qui aßidua attentaque, scripturarum lectione fruatur.* Nec ad diligentem solùm scripturæ lectionem & meditationem, sed etiam ad doctorum & piorum ecclesiæ pastorum conciones audiendas, easque ad verbum Dei examinandas, adhortamur. Qua in re vt Deum sequimur ductorem, ita meritò à sententia Pontificia diffidemus. Vos enim plusquam Pharisaica arrogantia, Christianorum vulgo rerum sacrarum imperitiam, vobis verò scientiam & iudicium earum arrogatis. Vt enim Pharisæi suis ministris Christum laudanti-
Iohan. 7, 48, 49. bus responderunt; *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicta est:* & postea liberam & inge-
nuam,

nuam cæci à Christo sanati confessionem & sui reprehensionem non ferentes, ei dixerunt; *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Sic vestros doctores à fidelibus auditoribus (quos animales & carnales, vos spirituales, appellatis) admoneri minimè sustinetis. Nimirum quòd vestro iudicio *imperiti* sint, & *sacris literis operam non dederint.* Hinc illud obijcis; *Ne sutor vltra crepidam.* Quæ sanè turpis in Christi ecclesiam contumelia est. Nam quamuis fidelium vulgus comparatione quadam cum doctoribus imperitum & indoctum appellari possit; non propterea tamen prorsus imperitum est. Nam dispari fructu diu multumque Sacris literis operam dedit: ac primum quidem institutione maiorum; quemadmodum Timotheus *nouisse* dicitur *Sacras literas à puero*: deinde publica catechesi: præterea attenta concionum sacrarum per multos annos auditione & ad Dei verbum examine: denique pia & diligenti Sacrarum literarum lectione, & piorum commentariorum aliorumque de doctrina Christiana librorum collatione.

Iohan. 9. 34.

2. Timot. 3. 15.

In Iohannem Homil. 10. Qua de re insignis Chrysostomi adhortatio; *Quid igitur à vobis contendimus? vt vna dierũ in hebdomade, vel saltem sabbatho, curæ vobis sit Euangelicas legere lectiones, quas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter sensum disquirere, quid clarum, quid obscurum in his sit, annotare velitis, quid pugnare videatur, quum non pugnet: ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus, quàm attentissimos exhibeatis. Hoc pacto non parum vtrisque nostrum emolumenti prouenerit: siquidem nobis non multo opus erit labore, vt Euangelij vim ostendamus, quum domi, ipsam vobis sententiam, quantum ad verba, iam familiarem reddideritis: vos autem & acutiores & perspicaciores efficiemini, non ad audiendum & doctrinã duntaxat percipiendam, sed & ad docendum alios.* Ideoque virum eloquentissimum & optimum Apollo non puduit plenius in doctrina Christiana à plebeis hominibus Aquila & potissimùm Priscilla vxore Aquilæ institui. Actor. 18.26. Ex quibus satis apparet, Christianorum turbam, tanquam omnino imperitam, ab omni Sacrarum literarum interpretatione & iudicio,

iudicio, iniquissimè à vobis excludi: scilicet vt, sublata iudicij libertate & scripturæ luce traditionum humanorum iugo, liberè ecclesiam opprimatis. Nec propterea distincta in ecclesia pastorum & auditorum munia confunduntur; quia hisce priuatam tantùm, illis verò etiam publicam interpretandi & docendi facultatem concedimus. Sed, reliqua quàm accómodatè abs te disputentur, attendamus.

COSTERVS.

IGITVR aliquorum officium est Sacras literas tractare, earumque intelligentiam Christiano populo tradere, quos ait scriptura esse *sacerdotes, quorum labia custodient scientiam, & legem requirent ex ore eorum.* Malach. 2.7. Sacerdotum in veteri lege Iosl. 6.4. erat tuba canere, populum docere, Deut. 24.8. Dominum consulere, eiusque responsa 1. Reg. 22. etiam ad viros sanctissimos deferre, de- 10. nique ea omnia, quę diuinæ legis erant, tractare. Ad idem munus delecti sunt sacerdotes legis Christi, quibus Christus sic locutus est; **Ecce ego mitto vos,* *Luc. 10.3. †*predicatę Euangeliũ omni creaturæ ‡ docete* † Mar. 16.15. ‡ Math. 28. 19.

‡ Luc. 10.16. *omnes gentes. Qui vos audit me audit, Spiritus Sanctus quē mittet Pater in nomine meo*
* Iohan. 14. 26. *ille vos docebit omnia.* B. Paulus sic loqui
Actor. 20.28. solet & scribere presbyteris; *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos S. Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* Item, *Attende lectioni, exhortationi, do-*
1. Timoth. 4. 13. *ctrinæ. Attende tibi & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.*
2. Timot. 4. 2. *Prædica verbum, insta opportune, importunè, opus fac Euange-*
Tit. 2. 1. *listæ, ministerium tuum imple. Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam verbum sanum, irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est vereatur.* Hæc nusquam mandata sunt idiotis: quorum est audire, & à peritioribus scripturarum intelligentiam accipere. B. Leo Pontifex Maximus Antiocheno Patriarchæ sic scri-
Epist. 62. vide Epist. 82. ad Iulianum. bit; *Illud dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi ius docendi & prædicandi audeat vendicare, siue sit ille Monachus, siue laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur.*
Quæst. 235. B. Basilius, in quæstionibus compendio explicatis, ait, *superiorum esse illa scire ac discere, quæ alios doceant, aliorum*

autem

autem non plus sapere, quàm oporteat sapere. Et B. Augustinus. *Quis mediocriter sanus, non facile intelligat, scripturarum expositionem ab ijs petendam esse qui earum doctores se esse profitentur? fierique posse, imò id semper accidere, vt multa indoctis videantur absurda, quæ quum à doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur elatius, quo abiectius aspernanda videbantur, & eo accipiantur aperta dulcius quo clausa difficilius aperiebantur.* Hanc sanè rationem discendi literas sacras, secuti sunt Patres omnes ecclesiæ, qui non prius sibi sumserunt docendi officium, quàm ipsi à præceptoribus probè instituti essent, B. Hieronymus gaudet se B. Gregorio Nazianzeno & Didymo magistris Sacras literas didicisse. B. Basilius & Nazianzenus vt ex B. Ruffino superius dictum est *in monasterio per annos tredecim omnibus Græcorum secularium libris remotis solis scripturæ diuinæ, voluminibus operam dederunt, eorumque sensum non ex suo cerebro, sed ex maiorum scriptis & auctoritate hauserunt, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam accepisse constabat.*

Lib. 1. de moribus Eccles. cap. 1. Vide Can. 19. Trullan. & sess. 11. concilij Lateranensis

Epistola ad Domnionem.

Lib. 2. cap. 9.

GOMA-

GOMARVS.

VT multus es Costere, in eo demonstrando, quod controuersia caret, & mutus in eo quod probari oportuit! Nos enim, quod copiose impugnas, publicum in Ecclesia literas sacras interpretandi munus non facimus promiscuum, sed id pastoribus & doctoribus proprium esse statuimus. Itaque accumulandis hac in re scripturæ & veterum testimonijs supersedere, & priuatæ interpretationis quæstionem discutere, potuisses. Interim quum Leonis Papæ sententiam cites, qua monachi à publico docendi munere arcentur, cur iam illi inter concionatores vestros non aliquem tantùm, sed etiam primum occupant locum? Hic scilicet vester est cum maioribus, consensus! Deinde verò quandoquidem Basilij de publico docendi munere iudicium, ex quæstionibus compendio explicatis, adducis; audias vicissim, quid eodem in libro, de priuata interpretandi facultate, sentiat; *Necessarium* (inquit) *est & consonum, vt ex Sacra quisque scriptura,* quæst. 95.

quod necesse sit, discat, quum ad pietatis plerophoriam, tum ne assuescat humanis traditionibus. Et in Ethicis ait, *Oportere subditos eos, qui in scripturis imbuti sunt, probare ea quæ à doctoribus dicuntur, & quæ scripturis sunt consona, recipere, quæ aliena reijcere, & eos qui in eiusmodi doctrinis alienis perseuerāt vehementer auersari.* Cæterum quod posteriore loco, ad firmandam doctrinam vestram producis, excutiamus. Definit.72.

COSTERVS.

QVERITVR porrò B. Hieronymus, hæreticos, vt fauorem sibi plebis concilient, scientiam legis quibusuis, adeoque ipsis mulierculis, tribuisse: Et ad Paulinum; *Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.* Neque hoc nostro tantùm, aut Hieronymi seculo factum fuit, sed etiam temporibus Apostolorum. Adeo vt beatus Iacobus eiusmodi hominum temeritatem efficacibus verbis comprimere debuerit; *Nolite* (inquit) *plures magistri fieri fratres mei,* Lib.1.aduersus Pelagianos cap.6. Iacob.3.1.

mei, scientes, quoniam maius iudicium sumitis. Et verè non aliunde tot hæreses & schismata proseminantur, quàm quòd, quilibet ad suum iudicium, scripturas interpretetur, atque ad noua sua commenta accommodare conetur, vt veteres dixerunt, * Hilarius, † Hieronymus, ‡ Augustinus, * Epiphanius.

* Lib 2. de Trinit. & li. 2. ad Constant.
† In cap. 1. ad Gal. & contra Lucifer.
‡ Lib. 12. contra Faust. cap. 25.
* In 7. Synod. sess. 6.

GOMARVS.

RECTE de Hæreticorum temeritate queritur Hieronymus, sed malè illius verba accommodas. Non enim quamlibet, sed accuratiorem scientiam intelligit: *quam, vt ait, in multis doctoribus ecclesiæ, aut rarò, aut difficulter inuenias.* Nam quàm multis mulierculis nominatim scripturæ cognitionem attribuit? Similiter ad Paulinum scribens, moderatam & Sacris literis consentientem interpretandi rationem vulgo non detrahit, sed temeritatem & præposterum interpretationis modum reprehendit. Nam quemadmodum Paulus Apostolus ad Colossenses ait, *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes &*

Cap. 3. 16.

comm-

commonefacientes vosmetipsos: sic Hieronymus in commentarijs suis ad eum locum; *Hic* (inquit) *ostenditur, verbum Christi non sufficienter, sed abundanter etiam laicos habere debere, & docere se inuicem seu monere.* Qua vtraque sententia, quid esse possit illustrius, & ad doctrinæ Pontificiæ refutationem magis accommodatum? Nec obstat Iacobi Apostoli monitum; *Nolite plures magistri fieri:* Cap. 3. 1. siue enim magistrorum nomen cum Beda & plerisque alijs, ad publicum docendi munus, siue cum alijs ad rigidam morum censuram referamus, nihil ad propositam controuersiam facit. Quare ex hisce apparet fidelium turbam pro donorum suorum modulo posse & debere, ad priuatam sui & proximi vtilitatem, Sacras literas modestè & sanctè legere & interpretari.

CAPVT VIII.

Idque, ex rationum nostrarum defensione, clarius patebit.

COSTERVS.

Obiectiones Hæreticorum.

PRIMA.

CHRISTVS præcepit auditoribus suis, vt doctrinam Christianam ad regulam exigant Sacræ
Iohan.5.39. scripturæ; *Scrutamini scripturas:* Igitur permissum, imò mandatum est vulgo Christianorum iudicium de scripturarum interpretatione & negotijs fidei.

SOLVTIO.

NEGANDA est consequentia: *primo* quidem, quia *Christus* non indoctæ plebeculæ locutus est, sed sacerdotibus, Leuitis & Pharisæis; qui
Luc.11.52. clauem acceperunt scientiæ: de quibus
Iohan.5.33. idem dixit; *vos misistis ad Iohannem &*
Iohan.5.44. *testimonium perhibuit veritati:* Et; *Quomodo potestis credere qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* quos constat non fuisse ex promiscua multitudine, sed principes viros, qui ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Iohannem legauerant, vt
Iohan.1.19. interrogarent eum, *Tu quis es?* Deinde

verò

verò quia scrutari scripturas non est scripturas ad sensum suum quolibet torquere, vel nouam atque hactenus inauditam interpretationem ad nouum dogma confirmandum comminisci: sed est doctrinam cum scriptura conferre, eo sensu intellecta, quem tradiderunt maiores.

GOMARVS.

RATIOCINATIONEM nostram agnoscimus Costere, sed solutionem tuam non probamus. Negas quidem consequentiam duabus de caussis, sed neutra satisfacit. Nam quòd primùm obijcis, *Christum non indocta plebecula, sed sacerdotibus locutum, quia ait, Vos misistis ad Iohannem*; id minimè consequitur. Nam Iohannes cap. 1. 19. ait, *Misisse Iudaeos Ierosolymis sacerdotes & Leuitas*. Qua ratione vulgus minimè excluditur. Nam quod publica auctoritate fit, an non rectè etiam populo eius conscio, nisi reclamet, asscribi potest? Deinde licet sacerdotes gloriam aucuparentur, an propterea soli? Quasi verò suo fermento (à quo tam solicitè

 suos

suos Christus dehortatur) sectatores suos non infecerint? Prætereà, quum Christus adijciat, Iudæos *voluisse ad horam exultare in luce Iohannis*, an non potius id ad populum pertinet, quàm ad
Luc.7.30. sacerdotes: quum hi ferè spreuerint Io-
Matth.21.25. hannem, illi verò in pretio habuerint? Denique scripturæ examen non solum doctoribus, sed etiam auditoribus commendari, ex similibus prophetarum & Apostolorum sententijs con-
Psal.1.1.2. stat; *Beatus* (inquit Dauid) *vir ille, qui non ambulat in consilio improborum & viæ peccatorum non insistit, ac in consessu derosorum non sedet, sed in lege Iehouæ est delectatio eius & in lege illius meditatur de die ac*
Psal.119.2. *nocte*. Item; *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.*
1.Iohan.4.1. Et Iohannes; *Probate Spiritus an ex Deo*
1.Thess.5.21. *sint*. Et Paulus; *Omnia probate, quod bo-*
Coloss.3.16. *num est, tenete*. Item; *Verbum Dei habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes & commonefacientes vos ipsos in Psalmis, hymnis, in canticis spiritualibus in gratia, cantantes Deo & patri per ipsum.* Quem locum ad Christianorum vulgus perti-
Cap.9. nere Hieronymus, vt ante retuli, demonstrat.

monstrat. Nec aliter Chrysostomus exponit; *Inhabitet*, inquit, *in vobis opulentè non simpliciter, sed cum multa opulentia: Audite quotquot estis mundani & uxoribus praestis ac liberis, quomodo & vobis potissimùm praecipiat scripturas legere, idque non simpliciter neque obiter, sed magna diligentia.* Et paulò post, *Neque moreris alium doctorem, habes oracula Dei, nemo te docebit, quemadmodùm illa: Alius tibi multa saepe, siue per vanam gloriam, siue per inuidentiam, inuidebit. Audite obsecro seculares omnes. Cōparate vobis biblia, animae pharmaca, &c. Hoc demum malorum omnium causa est quod scripturae ignorantur.* Quare ex hisce omnibus liquet, Christum iustè potuisse ac voluisse non solùm doctores, sed etiam vulgus Iudaeorum, ad Sacras literas scrutandas prouocare. Atque hoc modo prima tua ratio confutatur. Altera verò partim aliena est, partim falsa. *Quia, inquis, scrutari scripturas non est scripturas ad sensum suum quolibet torquere vel nouam, atque hactenus inauditam interpretationem ad nouum dogma confirmandum comminisci.* Quis mortalium id negat? sed an inde (quod tibi pro-

Comment. in Coloss. 3.

 bandum

bandum est) consequitur, non licere Christianorum vulgo Sacras literas pro suo modulo ad ipsarum normam interpretari & de negotijs fidei iudicare? Addis deinde, *sed est doctrinam cum scriptura conferre eo sensu intellecta, quem tradiderunt maiores*: rectè, modò (quod sæpe fit) à Sacris literis non dissentiant: non autem absolutè, vt perperam docetis. Maiores enim in honore habendi sunt, tanquam testes: Sacræ verò literæ omnibus præferendæ & in summo precio habendæ, tanquam fidei canon. Quod iudicium non solum patres orthodoxi, sed etiã antiqua * Pontificium decreta (à quibus † postea turpi contradictione defecerunt) comprobant ac præscribunt. Quare confirmata iam ratione prima, alterius etiam robur afferamus.

* Gratian. dist. 9.
† Cõcil. Trid. sess. 4.

COSTERVS.

SECVNDA.

Actor. 17. 11. Beroenses commendantur, quòd quotidie scrutarentur scripturas, an illa quæ à Paulo & Sila dicebantur ita

ita se haberent: ergo licet populo idem præstare.

SOLVTIO.

CONCEDI potest ad eum modum, quo id fecerunt Beroënses: qui scripturas, ab Apostolis pro concione expositas cum ipsa eorum explicatione, conferebant, considerabantque vtrum nouis modis à veteribus ignoratis, scripturas torquerent; an verò maiorum doctrinæ & interpretationi consentanea dicerent. Hoc ipsum optandum est ab omnibus fieri, & ijs præsertim temporibus quando noua dogmata in mundũ inuehuntur, scripturarumque centonibus comprobantur: tunc enim conferendæ sunt nouitates illæ cum vetustate ecclesiæ, & noua interpretatio cum antiqua interpretatione maiorum, cum qua si pugnat reijcienda est, & iuxta beati Pauli admonitionem anathemate percutienda. Gal. 1. 8.

GOMARVS.

QVAM das manum, Costere, eam libenter amplectimur, atq. vtinam in reliquis etiã propius ad veritatem re-

uertaris! Itaque depugnatũ est hac quidẽ parte: nec iã amplius de ijs, ad quos interpretationis ius & doctrinæ examen pertinet, sed de modo illius controuersia est. *Concedi*, inquis, *potest ad eum modum, quo id fecerunt Beroënses.* Rectè mones: nec enim aliud postulamus, vt, ex propositæ quæstionis statu & expositione tua, perspicuum est. Quamobrem ad modum transeamus. *Qui* (inquis) *scripturas ab Apostolis pro confessione expositas, cum ipsa eorum explicatione conferebant, considerabantque vtrum nouis modis à veteribus ignoratis scripturas torquerent, an verò maiorum doctrinæ & interpretationi consentanea dicerent.* Hic igitur statuis maiorum doctrinam interpretationis canonem: sed quo auctore? Non enim Beroënses dicuntur examinasse Pauli dicta ad maiorum interpretationem, sed ad Sacras literas. Quandoquidem maiorum interpretatio, sectarum vitio, corruptissima erat: ac proptereа Christus multis in locis tam grauiter eam reprehendit: deinde quum superioribus prolixè & solidè demonstratum sit, maiorum doctrinam, ad Sacrarum

Matt. 15 &c.

crarum

crarum literarum trutinam examinati oportere: certa & constans interpretationis veræ norma dici non potest. Nec alio pertinet sententia Pauli; *Sed etiamsi nos, aut angelus, è cælo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto.* Quare quum secunda etiam ratio nostra inuicta perstet, ad tertiam procedamus. Gal. 1.

COSTERVS.

TERTIA.

MATTHÆI: II. Christus patri cælesti confitens, quia abscondisset hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasset ea paruulis, significare voluit, non minus inesse gratiæ imperitæ multitudini, quàm inflatis doctoribus: non sunt igitur rudes ab interpretatione & iudicio Scripturarum arcendi.

SOLVTIO.

NEGANDA est consequutio; quia paruulorum nomine non quiuis imperiti, sed humiles ac nullius rei cognitione tumentes, intelligendi ve-

niunt: quales erant Apostoli, piscatores illi quidem & demissi, nullo spiritu inflati, nullius artis inanis arrogantia submixi ambulantes, non tamen indocti, vtpote, qui totum triennium æterni patris diuinam sapientiam docentem audierant, & mentem ipsam intus erudientem senserant. Gaudet igitur Christus non tumidos peritia legis Pharisæos, non inflatos naturalium rerum cognitione philosophos, sed humiles & à mundo contemptos *piscatores* ad Christianam sapientiam, primò quidem à se discendam, deinde verò *alijs* communicandam delectos, eo ferè modo, quo beatus Apostolus Paulus,
1. Cor. 1. 26. *Videte* (inquit) *vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus: vt confundat sapientes*; Indocti qui præ se maiores omnes pro nihilo putãt suumque iudicium totius ecclesiæ anteponunt, non sunt in istorum paruulorum, de quibus Christus loquitur, sed in turgidorum, non dicam sapientum, sed sciolorum numero reponendi.

GOMARVS.

ABERRAS à scopo, Costere, nam quis adeò rudis & imperitus est vt sermonis tui fallaciam non obseruet? Quoniam imperitę multitudinis & rudium nomine non quosuis imperitos, sed Christianorum vulgus (vestrum sermonem veritatis illustrandæ gratia imitantes) ita appellamus, non simpliciter, sed comparatè cum doctioribus, & ratione sapientiæ humanæ. Nam alioquin & Deum patrem in Christo norunt, quę vera sapientia est, & Christi verbo se subijciunt, quæ summa demum humilitas est: Ac sanè, si Apostoli, vt ais, viuente Christo, indocti non fuerunt, qua fronte Christianorum turbam, rudem, imperitam, indoctam vulgo appellatis? Etenim bona earum pars, non adulta tantum ætate, & triennium, vt Apostoli, sed inde à puero decé, viginti, triginta annos doctrina Christiana imbuta est. Deinde quamuis Apostolorum mentem Christus suo modo illustrarat, lux tamen eorum erat adeò tenuis, vt non solùm

conditionem regni Christi ignorantes mundanum aliquod regnum exspectarent, sed etiam apertam & perspicuam
Luc. 18. 34. passionis, mortis & resurrectionis Christi prædictionem minimè intelligerent: quæ omnia tamen Christianorum vulgo hoc tempore comperta sunt. Itaque hac tertia ratione stabilita quartam expendamus.

COSTERVS.

QVARTA.

IOHANNES 6. 45. Affirmat Christus ex Prophetis, *Erunt omnes docibiles Dei*, siue vt, Græcis est, θεοδίδακτοι, hoc
Esa. 54. 13. est, *docti à Deo*. Ait namque Esaias; *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino:* &
Ier. 31. 33. Ieremias; *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum, ait Dominus.* Igitur non opus est plebi alio doctore, sed omnibus licebit interno spiritus instinctu Scripturas exponere.

SOLV-

SOLVTIO.

MALE colligunt aduersarij. Non enim Prophetæ scripturarum omnium intelligentiam, sine doctore externo, à solo Deo volunt Christianis omnibus infusum iri, sed duo alia prædicunt Messiæ temporibus euentura. Alterum, quòd omnes docendi sunt à Deo, hoc est, diuinitus communicandam omnibus scientiam: quod factum est à Christo Deo & patris sapientia, primò quidem quando per se ipse Deus cum hominibus conuersatus, cælesti doctrina ore suo sacro sancto mortales imbuit, & per Apostolos eorumque successores eadem mundum diuina scientia collustrauit: deinde verò dum quotidie per se ipse fidei virtutem Christianis infundit. Alterum, quod *non docebit vnusquisque proximum suum*, non quidem nihil, sed *nosse Dominum*. Significauit enim Propheta his verbis, temporibus Christianorum, tam publicam fore & omnibus manifestam orthodoxam fidem, tam conspicuam ecclesiam catholicam, vt ea neminem possit fugere:

gere: statim enim cum lacte sugen
Dei notitiam & ipsis infantibus à
rentibus instillandam: quod totis 15
annis vidimus in ecclesia per vniu
sum orbem à Catholicis egregiè pi
stitum esse. Voluit igitur Propheta
dicare Ecclesiam Christi non fore i
visibilem, sicut quidam docuerunt, n
que vllo vnquam tempore ita suppr
mendam orthodoxam fidẽ & ita abd
tam in occulto latiturã, sicut his 1500
annis coguntur hæretici fateri sua dogmata inuisa latuisse; quod ne vnum quidem hominẽ ante sui hæresiarchæ ætatem nominare possint, qui idem prorsus in omnibus, quod ipsi, professus fuerit.

GOMARVS.

AVDIO Libertinorum argumentum, quod nobis iure affingi non potest, quum verbi diuini ministerium summo habeamus in pretio & honore. Interim ne nihil nobis ex hoc loco putes esse subsidij, ita ex eo sanctius & vetius sententiam nostram possumus comprobare; Qui diuinitus à Spiritu

Sancto

Sancto de religione docti sunt, illi pro modulo suo Sacras literas possunt intelligere & interpretari: Omnes fideles, Christo teste, sunt eiusmodi; ac propterea iniquissime ab omni Sacrarum literarum interpretatione à vobis excluduntur. Caeterùm quae de ecclesia visibili attexis, ea in tractatu de ecclesia diluentur, quemadmodum & nouitatis accusatio ante confutata est. Quare ad quinti argumenti examen procedamus.

COSTERVS.

QVINTA.

MAIORES nostri & Ecclesiae doctores, quum fuerint homines erroribus obnoxii, errare potuerunt: Non igitur quidquid illi dixerint ex oraculo editum existimari debet.

SOLVTIO.

VERVM est singulos homines tam doctos quàm indoctos posse errare & pro fidei regula accipiendum non esse quod singuli vel dixerunt vel scri-

pserunt

pserunt vniuersos tamen simul errare, nunquá permittet ille; qui se suæ ecclesiæ præsto futurum promisit vsque ad consummationé seculi. Cæterùm quia hæreticis omnibus solenne est, Sanctorum patrum, quòd fuerint homines, auctoritati detrahere, exponendum erit quibus de caussis ipsi in ecclesia auctoritatem habeant, & à Catholicis in dogmatum suorum confirmationem adducantur

Matth. 28. 20.

Cur patres citentur.

Prima est quòd sint certi testes eorum, quæ suis temporibus *Christianus* populus per orbem vniuersum *credidit*. Quum enim lego B. *Chrysostomum* in Græcia, B. Hieronymum in Palæstina, Ambrosium in Italia, Augustinum in Africa, Hilarium in Gallia, Orosium & Prudentium in Hispania eodem seculo ante 1200. annos, eadem prorsus nobiscum sentientes, atque scribentes, populos sibi commissos pro concione docentes, & libris *instituentes*; dubitare non debeo eandem per omnem ecclesiam fuisse fidem ante 1200. annos, quæ hodie etiamnũ à catholicis retinetur. Sicut namque historicis

storicis sua debetur fides, ita multò magis his pastoribus atque doctoribus, qui non tantùm, quid ecclesia credidit, sed quid & quibus modis concreditum gregem concionatores & superiores docuerint, posteris tradiderunt.

Secunda, quòd viri sanctitate conspicui, miraculis clari, doctrina illustres, studio laboreque indefessi, minus existimandi sint errasse, quàm nos noui homines: qui neque pietate, neque eruditione cum ipsorum minimo sumus conferendi. Nec enim credibile est viros huiusmodi, præsertim in rebus quæ fidē attingunt, à Deo sic destitutos, vt ipsi errarint, & concionibus doctrinaque sua in errorem alios induxerint.

Tertia, quòd qui ante annos 1200. ad ecclesiæ gubernacula sederunt ab Apostolorum temporibus solis 300. annis abfuerint, eorumque doctrinam, tanquam viciniores, longè melius cognouerint, quàm nos, post mille ducentos annos, sequuti: præsertim quum nō nisi per veteres illos maiores ad nos Christiana nostra doctrina peruenerit. Ire igitur ad veteres, nihil aliud est quàm

quàm inuestigare vtrum dogmata religionis pura atque illibata, sicut ab ipsis tradita fuerunt, ad nos sint delata.

Quarta: quia quod multo ante nostra secula vixerunt, incorrupti sunt iudices controuersiarum quæ à posteris

Lib. 2. Contra Iulianum Pelagianum.

mouentur. *Nullas* (inquit D. Augustinus) *nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt vel inimicitias exercuerunt, neque nobis neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt: quod inuenerunt in* Ecclesia, *retinuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à parentibus acceperunt, hoc filijs tradiderunt.*

GOMARVS.

QVOD, *singulos homines tam doctos quàm indoctos errare posse*, nobis concedis, id amplectimur, & meritò inde ex inductionis natura concludimus, ergò vniuersi simul errare possunt. Quia vniuersitas nihil aliud est quàm singulorum congregatio. Nec obstat

Matth. 28. 20.

Christi promissio, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem mundi*: quoniam ea (vt pluribus cap. 5. huius libri demonstratum est) non solùm ad vniuersos.

uersos, sed etiam ad singulos & pios quosuis verbi ministros & fideles, pertinet. Ac propterea nihil ad rem facit. Deinde verò quòd vnanimen omnium maiorem consensum fidei regulam constituitis in eo erratis plurimùm: quoniam ea regula incerta est & fallax. Nam vnde obsecro vniuersalis ille maiorum consensus cognoscetur? An ex veterum episcoporum & doctorum scriptis? At doctores non vniuersam ecclesiam sed alteram tantùm partem constituunt. Deinde verò quum perpauci ex maiorum infinita multitudine fidem suam literarum monimentis tradiderint, & ex scriptis eorum bona pars iniuria tẽporis interciderit: id quod superest dici nõ potest absolutè cõsensus vniuersus; Denique quum interdùm à Sacris literis, à se mutuo, & à seipsis dissentiant (vt ante à nobis demonstratum est) regula fidei dici non possunt. Quare ex hisce perspicuum est, quàm ineptè ex vnius doctoris sententia totius regionis, & ex septem doctoribus, vniuersi orbis consensum communem, concludis. Sic enim ais; *Quum*

enim lego B. Chryſoſtomum in Græcia: B. Hieronymum in Palæſtina, Ambroſium in Italia, Auguſtinum in Africa, Hilarium in Gallia, Oroſium & Prudentium in Hiſpania eodem ſeculo ante 1200. *annos eadem proſus nobiſcum ſentientes, populos ſibi commiſſos pro concione docentes, dubitare non debeo, eandem per omnem eccleſiam fuiſſe fidem ante* 1200. *annos, quæ hodie etiamnum à catholicis retinetur.* Verùm, vt omittam, Coſtere, quod de veſtro cum hiſce patribus in doctrina conſenſu falſò gloriaris, ex te quæro, an nō ſeptem, octo, nouem decem, diuerſarum prouinciarū doctores in errore aliquo poſſint conuenire? ſi negas, variorum patrū & conciliorum exempla id demonſtrabunt: ſin (vt fieri neceſſe eſt) concedis, vides haud dubiè quàm perperam ex paucorum ſenſu, vniuerſum eccleſiæ conſenſum metiaris. *At* (inquis) *ſicut hiſtoricis ſua debetur fides, ita multò magis his paſtoribus atque doctoribus:* agnoſco hiſtoricis ſuam deberi fidem, ſed non abſolutam: quia, in multis errare potuiſſe & erraſſe, compertum eſt, & idem antiquis illis ſcriptoribus vſu venit. Quod verò vete-

rum

rum doctrinam ita extollis, vt nostri temporis homines, neque pietate, neque eruditione cum ipsorum minimo conferendos esse; censeas, id minimè ferendum est. Nam quamuis nostræ tenuitatis conscij, id de nobis meritò possimus ac debeamus fateri, de multis tamen id, sine magna in Deum ingratitudine, & in homines iniustitia, dici non potest. Quamuis enim patres antiqui sua habuerint ad eruditionem subsidia; duobus tamen maximè necessarijs ad solidiorem Sacrarum literarum notitiam comparandam adiumentis, librorum copia & linguarum doctoribus, caruerunt. Nam primùm quum Cyprianus, Hieronymus, Augustinus ad scribendum accederent, pauca de Christiana religione scripta quibus vterentur, extabant, & ob descriptionis difficultatem rara & cara erant exemplaria: nostrum verò seculum eò felicius est, quod plurima etiam ab illis patribus, cæterisque paulatim sint conscripta, & typographiæ (olim ignotæ) beneficio, magna copia & tolerabili pretio comparentur: adeò

verbum tanquam summum iudicem liceat prouocare. Quam viam non solùm ferunt sed etiam præscribunt. Epist. 111. ad Fortunat. *Neque enim* (inquit Augustinus) *disputationes quamuis catholicorum & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scripturis improbare atque respuere, si fortè inuenire mus, quod aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab alijs intellecto, vel à nobis. Talis ego sum in scripturis aliorum, tales volo esse intellectores mearum.*

CAPVT IX.

De lectione & interpretatione Sacrarum literarum egimus: reliquum iam est, vt de Sacrorum & Canonicorum liberorum numero disseramus.

COSTERVS.

De numero librorum Sacrorum.

NVLLVS ferè canonicus extat liber, cui nō censoriæ seueritatis notam inusserint Nouatores, siquidem minus errori suo fa-

uere

uere videretur. Totum vetus Testamentum damnauerunt Carpocratitæ, Seueriani & Manichæi, tanquam à malo principio confictum. Euangelia, præterquam Lucæ, negauit Cerdon: Cerinthus etiá Lucam abiecit & cæteros, præter Matthæum. Seueriani Apostolorú acta sustulerunt & cum Ebionitis omnes B. Pauli epistolas. Epistolam B. Iacobi Lutherus appellauit strammineam & indignam Apostolico Spiritu. Alogiani, B. Iohannis Apocalypsim pro figmento Cerinthi, habuerunt. Non pauci de posteriori epistola B. Petri & duabus B. Iohannis Apostoli dubitauerunt. Quibus omnibus si fides habenda sit, restabunt nobis in Scripturis vnica B. Petri, vnica B. Iohannis & vna B. Iudę quas tamen non esset difficile prætextu aliquo, cum cæteris expungere. Cæterum ne hoc malum orbi eueniret inscripsit in mentibus ecclesiæ Deus Sacrorum librorum numerum qui inspiciendus est ei, qui de libro aliquo dubitat. Ante 1200. annos, in concilio Carthaginensi, cui B. Augustinus adfuit, & in Epistola B. Innocentij ad exu- Cap. 47.

perium, illi omnes nominati sunt, quos ante 150. annos celeberrimum illud Florentinum concilium Latinorum, Græcorumque patrum atque Armeniorum legatorum cōsensione celebratum, recensuit, & nostra ætate Tridentina Synodus comprobauit.

GOMARVS.

NVLLA sanè ijs habenda est fides, qui sacros & certos Veteris & Noui Testamenti libros, *Sacrarum literarum* numero exemerunt. *Ac propterea* meritò ab ijs *dissidemus*, & vt reliquorum de alijs, sic primam illam Lutheri, de Iacobi epistola opinionem (quam ipse posteà correxit) minimè comprobamus. Sed mirandum est te festucam in Lutheri oculis adeò ostentare, quum trabem, in vestro cardinale, summo Lutheri aduersario, silentio prætereas. Nam Thomas de vio Caietanus cardinalis Sancti Xysti, Pontificis Romani aduersus Lutherum in Germania ad Carolum quintū legatus, nō solùm de epistolæ Iacobi auctoritate dubitauit, sed etiam *secundam Petri non*

Vide indicem errorū Caietani per Ambrosium Catharinum.

esse

esse ipsius: secundam & tertiam Iohannis non esse Iohannis Apostoli, nec canonicam: epistolam Iudæ, non esse Iudæ, neque abs re refutari: auctorem epistolæ ad Hebræos, sciptu-ram male citare, torquere, à falso scripturarum intellectu deceptum, affirmauit. Sed hoc omisso ad rem ipsam propius accedamus. Ac primùm vnde certum sacrorum librorum numerum cognoscendum statuatis exponis; *Inscripsit* (inquis) *in mentibus ecclesiæ Deus Sacrorum librorum numerum, qui inspiciendus est ei, qui de libro aliquo dubitat.* Imò verò, Costere, non à solo ecclesiæ iudicio, quod mutabile est, pendere nos decet, sed rationes etiam, quibus ea nititur perpēdendæ, & libri de quibus dubitatur legendi ac diligenter cum reliquis exploratæ fidei scripturis conferendi sunt, & antiquæ ecclesiæ testimonia coniungenda, vt veritas illustretur. Fieri enim potest, vt ecclesia in diuersas partes distracta contrarium errore quodam humano sentiat, quemadmodum Hieronymi ætate contigisse constat. Nam epistola ad Hebræos à Græci sermonis ecclesijs inter canonicas scri-

pturas recepta erat, apocalypsis verò reiecta: Latina verò ecclesia in vtroque contrariũ sentiebat. Dequa re audiatur Hieronymus. *Quod si eam* (epistolam ad Hebræos) *Latinorum cõsuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsin Iohannis eadẽ libertate suscipiunt, & tamen nos vtramque suscipimus; nequaquam huius temporis cõsuetudinem, sed veterũ scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerunq; utriusque vtuntur testimonÿs, non vt interdum de apocryphis facere solent (quippe qui & gentilium literarũ rarò vtantur exemplis) sed quasi canonicis & ecclesiasticis.* Deinde verò, eum numerum librorum Sacrorum commendas, qui à concilijs vestris, Florentino ante 150. & Tridentino nostra ætate, definiti sunt. Verum quum ea cõcilia nec antiquitate, nec forma, nec episcoporum ratione vllam apud orthodoxos mereantur auctoritatem, alijs opus est maioris momenti testimonijs ad conciliorum illorũ sententiam confirmandã. Ea autem est libros illos qui Apocryphi vulgò appellantur, Tobiam, Iudith Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, Macchabæorum

Tom. 3. epist. ad Dardanũ.

chabæorum libros duos, appendices Esteræ & Danieli in Græcis & Latinis exemplaribus adiectas, partē esse Sacræ scripturæ, & cū reliquis, fidei canonem. Quam doctrinam meritò Orthodoxi auersantur. Nam quibus obsecro rationibus, aut antiquæ ecclesiæ testimonijs, causam defendes? Adducis priore loco concilij Carthaginensis canonem 47. Sed præterquàm quòd concilia errare posse ante demonstratum est, concilium hoc non fuit generale, sed particulare, Augustini & paucorum episcoporum Africanorum: ac propterea, ex communi Pontificiorum iudicio, errare potuit, & reuera in eo errauit, quod inter Salomonis libros sapientiam & Ecclesiasticum recensuit. Nam quod id concilium cum Carranza in Trullana synodo generali confirmatū vulgo obijcitis, inane effugium est: quia canones illius Synodi dubiæ sunt fidei, & à doctissimis Pontificiorum doctoribus, tanquam in Romanam ecclesiam iniuriæ, pluribus argumentis refutantur. Deinde ea Synodo non solum Carthaginiense, sed etiam Laodi-

Epitome Cōciliorum.

Melchior Canus de locis Theologicis lib. 5. cap. 6.

Laodicenum concilium, (quod vest... de librorum sacrorum numero sententiæ repugnat) comprobatur. Denique quamuis concilij huius valeret auctoritas, causam tamen Pontificiam nequaquam stabiliret. Nos enim de sacro canone fidei disputamus, concilium agit de sacro canone lectionis ecclesiasticæ, ad vitæ ædificationem. Subijcitur enim; *Hoc fratri & consacerdoti nostro Bonifacio, vel alijs earum partium episcopis, pro confirmando isto canone innotescat, qui à patribus ista accepimus in ecclesia legenda. Liceat etiam legi passiones martyrum, quum anniuersarij dies eorum celebrantur.* Atque eadem est Innocentij quem secundo loco nobis obijcis sententia. Quod vt minus suspectum & magis sit perspicuũ, Cardinalem vestrũ interpretem audiamus; *Nam reliqui* (videlicet Iudith, Tobiæ & Macchabæorum libri) *à diuo Hieronymo extra canonicos libros supputãtur, & inter apocrypha locantur, cum libro sapientiæ, & Ecclesiastico: vt patet in prologo Galeato. Nec turberis nouitie, si alicubi repereris libros istos inter canonicos supputari, vel in sacris concilijs, vel in sacris doctoribus. Nam ad Hieronymi li-*

Caietanus Comment. in Ester. 10.

nam reducenda sunt tam verba conciliorum, quàm doctorum: & iuxta illius sententiam, ad Chromatium & Heliodorum episcopos, libri isti (& si qui alij sunt, in canone bibliæ, similes) non sunt canonici, hoc est, non sunt regulares, ad firmanda ea, quæ sunt fidei: possunt tamen dici canonici (hoc est regulares) ad ædificationem fidelium: vt pote in canone Bibliæ ad hoc recepti & auctorati. Cum hac enim distinctione discernere poteris & dicta Augustini in secundo de doctrina Christiana, & scripta in concilio Florentino sub Eugenio quarto: scriptaque prouincialibus concilijs, Carthaginiensi & Laodicensi, & ab Innocentio & Gelasio pontificibus. Quare euersis falsæ doctrinæ vestræ fundamentis, vera orthodoxarum ecclesiarum sententia retinenda est, quæ grauissimis de causis libros apocryphos, à libris prophetitis, qui fidei canonem continent, secernit. Nam primum plærisque eorum nonnulla continentur quæ à rei & Sacrarum literarum veritate discrepant, vnde & pars eorum *fabulæ* ab Hieronymo appellantur. Deinde non à prophetis conscripti nec approbati sunt, vt fieri oportuit. Præterea nec

Præfatione in Daniel.

lingua

obati
rea nec
lingua

lingua prophetica & ecclesię veteris testamenti, sed Græcè plerique fuerunt conscripti, eoque non ad canonem fidei in ecclesia, destinati sunt. Hisce etiam accedit, quod Iudaica ecclesia,
Rom. 3. 2. *cui diuina oracula concredita erant*, nunquam eos libros tanquam Dei verbum accepit aut agnouit, nec Christus aut Apostoli vllibi commendarunt. Idque postremò copiosis patrum & multorum Pontificiorum doctorum testimonijs comprobari potest, è quibus ne prolixior sim pauca proponam. Ac primũ celebris & insignis est Cypriani, aut Rufini locus: *Hæc sunt quæ patres intra canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod & alij libri sunt, qui non canonici sed ecclesiastici, à maioribus appellati sunt: vt est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia, quæ dicitur filij Syrach: qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur: quo vocabulo non auctor libelli sed scripturæ qualitas cognominata est. Eiusdem ordinis est libellus Tobiæ & Iudith, & Macchabæorum libri. In nouo verò testamento libellus qui dicitur Pastoralis siue*

Expositione Symbol.

Hermatiũ

Hermatis qui appellatur, Duæ viæ, vel iudiciũ Petri. Quæ omnia legi quidem in ecclesijs voluerunt, nõ tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras verò scripturas, Apocryphas nominarunt, quas in ecclesijs legi noluerunt. Hæc nobis à patribus, vt dixi, tradita, opportunum visum est, hoc in loco designare, ad instructionem eorum qui prima sibi ecclesiæ ac fidei elementa suscipiunt: vt sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sunt pocula. Secundò audiendus est Hieronymus; *Hic prologus scripturarum quasi Galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum conuenire potest: vt scire valeamus, quidquid extra hos est inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia quæ vulgo Salomonis inscribitur & Iesu filij Syrach liber & Iudith & Tobias & Pastor, non sunt in canone.* Et alibi; *Sicut ergo Iudith & Tobiæ & Macchabæorum libros, legit quidem ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit, sic & hæc duo volumnia* (Ecclesiasticum & Sapientiam) *legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Et alio in loco de Daniele ait, *Apud Hebræos, nec*

Præfat. in libros Regum.

Præfat. in Prouerb.

Præfat. in Danielem.

Susannæ

Suſannæ habet hiſtoriam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis Draconiſque fabulas: quas nos, quia in toto orbe diſperſæ ſunt, veru ante poſito, eaſque iugulante,, ſubiecimus: ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncaſſe. Eandem etiam Africani patris doctiſſimi ſententiam fuiſſe, atteſtatur. Idem docent reliqui patres plurimi, Origenes in Pſalmum. 1. vt refert Euſebius hiſtor. eccleſiaſt. lib. 6. cap. 24. Qui locus, vt obſeruaui, mutilus quidem eſt in Græco exemplari, quod nunc extat, & *vulgo malè* verſus, ſed corrigendus ex verſione antiqui patris Rufini. Nam *duodecim* prophetarum librum, cuius in Græco exemplari, ſcriptorum vitio nulla fit mentio, apertè, vt neceſſe eſt, cum reliquis libris recenſet, & Macchabæorum libros extra canonem ponit. Athanaſius in ſynopſi diuinæ ſcripturæ. Melito apud Euſebiũ lib. 4. ca. 24. & Euſebius in Chronico Olympiade 116. Gregorius Nazianzenus Poëmate de genuinis libris diuinitus inſpiratæ ſcripturæ. Hilarius præfatione in Pſalmos. Epiphanius hæreſi 8. Cyrillus Hieroſolymitanus

ſolymitanus in 4. Catecheſi Iohannes Damaſcenus orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 18. Idem etiam ex concilio Laodiceno & Gregorij magni Pontificis teſtimonio confirmatur. Quæ fruſtra eludere contendis.

COSTERVS.

OBIECTIO PRIMA.

CONCILIVM Laodicenum eos libros Veteris Teſtamenti omittit qui non ſunt in canone Hebræorum: non igitur agnouit libros Macchabæorum ſapientiam, Tobiam & Iudith.

SOLVTIO.

NEGANDA eſt conſequentia: non enim eo loci patres abiecerunt hos libros, tanquam non Sacros, nec decreuerunt non eſſe canonicos, ſed non numerauerũt inter illos, qui in Eccleſia eſſent legendi, idque præſertim propter Iudæos ad fidem conuerſos & ferè Iudaizantes, quibus Phrygia ab

Apostolorum temporibus abundabat. Hos nimirum Sancti illi episcopi irritare noluerunt iis libris Veteris Testamenti in ecclesia legendis, quos illi in canone Hebræorum non habebant.

GOMARVS.

NEGARE consequentiam potes: sed sine ratione iusta. Nam quòd primùm ais; *patres non abiecisse hos libros tanquam non Sacros, nec decreuisse non esse canonicos, sed non numerasse inter illos qui in ecclesia essent legendi*, id perspicue concilij verbis repugnat. Ita enim loquitur; *Non oportet ab idiotis psalmos compositos & vulgares in ecclesijs dici, neque libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos Veteris & Noui Testamenti. Quæ autem oporteat legi & in auctoritatem recipi sunt hæc, Genesis, Exodus*, &c. Deinde etiam ea quam profers ratio, cur libri Apocryphi ab hoc cõcilio omittantur, inane commentum est, & grauissima concilij accusatio. Nam quum totius Sacræ scripturæ lectionem ecclesiæ præceperit

Can. 59.

cęperit Deus, qua fronte huius rei conſcium concilium ſecus ſtatuiſſet? An offenſionis metu? atqui eiuſdum habenda eſt ratio, quando non offenditur Deus, hoc eſt, in rebus arbitrarijs, non autem in ijs, quæ à Deo præſcripta ſunt. *Deo enim obedire oportet potius, quàm hominibus.* Act. 5.29. Deinde verò quod Sanctos illos patres Iudæos Iudaizantes irritare noluiſſe aſſeris, omnino alienum eſt. Nam quum offenſio iniuſta & pertinax, ne errores foueantur, contemnenda ſit; quomodo Iudæorum offenſionem, quæ trecentos ſexaginta quatuor annos à Chriſto nato durarat, timuiſſent? Denique vt ex ijs quæ vltro largiris rem totam concludam, quum libri Macchabæorum, Sapientia, cæterique apocryphi, non fuerint in canone Iudæorum, ſequitur eos non eſſe in canone fidei Veteris Teſtamenti. Primùm, quia Iudæis *concredita ſunt eloquia Dei*: Rom. 3.2. quæ adeò religioſè libris conſeruarunt, vt propterea *librarij Chriſtianorum* à patribus dicti ſint. Deinde quia non aliunde, quàm ex Iudæorum canone

Christus & Apostoli sua confirmarunt: nec vnquã eo nomine Iudæi à Christo Apostolis aut antiquioribus patribus accusati sunt, quòd Veteris Testamenti canonem mutilassent. Denique idem orthodoxus veterum consensus, quem modo adduxi, confirmat. De qua re, præter ea quæ diximus, eleganter ait Hieronymus; *Ad Hebræos reuertendum est, vnde Dominus loquitur & discipuli exempla præsumunt.* Et alibi; *Quæ nõ habentur apud illos* (Hebræos) *nec de viginti quatuor senibus, sunt procul abijcienda.* Sic enim legendum est. Quid autem per *viginti-quatuor senes* sibi velit, Prologo Galeato, seu præfatione in libros Regum, exponit. Atque eadem est Gregorij magni Pontificis Romani sententia.

Præfat. in Paralipom.

Præfat. in Esdram.

COSTERVS.

SECVNDA.

Lege 16.

BEATVS Gregorius lib. 19. Moralium, cap. 17. de libris Macchabæorum sic loquitur; *Non inordinatè agimus, si ex libris licet non canonicis, sed tamen*

men ad ædificationem ecclesiæ editis testimonia proferamus.

SOLVTIO.

Sed nec ille negat esse libros illos Sacros, aut in canonem ecclesiæ relatos, quum virum doctissimum latere non potuit, quid ante annos ducentos, beatus Innocentius Papa & concilium Carthaginense, de his Macchabæorum libris scripserit. Loquitur igitur de canone Hebræorum, in quem isti libri ascripti non fuerunt, & propterea non parum obtinebant apud omnes homines, præsertim Iudæos, auctoritatem. B. Augustinus multò ante, ex iisdem libris tanquam sacris & apud ecclesiam canonicis, sacrificium pro defunctis confirmare minimè reformidauit. Libro de cura pro mortuis agenda ca. 1.

GOMARVS.

Gregorii sententia illustrior est quàm vt hac responsione tua offuscari queat. Opponit enim inter se *canonicos*, hoc est canonem fidei, & *eos qui ad ædificationem ecclesiæ editi sunt*; Hie-

ronymum & veteres hac in re, iudicio & loquendi modo, secutus. Nam quis mortalium vel ante, vel post Gregorium hac periphrasi canonem fidei distinxit & non potius apocryphos designauit? Deinde, si ex concilij sententia Macchabæorum libri ad canonem fidei pertinebant, quid opus erat ista excusatione, *Non inordinatè agimus si ex libris non canonicis, &c.* Quare concilij Carthaginensis & Innocentij sententiá eadem nobiscum ratione intellexit, aut communi antiquorum patrum iudicio postposuit. Non ignorabat enim Origenem, Athanasium, Melitonem, Gregorium Nazianzenum, Epiphanium, Cyrillum Hierosolymitanum, Hilarium, Hieronymum, Rufinum, concilium Laodicenum, Macchabæorum libros à Veteris Testamenti canone meritò exclusisse. Quare erras grauiter in eo, quòd Gregorium ais, loqui de Iudæorum canone, ac si videlicet in Veteris Testamenti canone, ab ecclesia Christiana discreparent. Rectius sanè Bibliorum apud Pontificios

inter-

interpres primarius Nicolaus Lyranus de Macchabæorum libris ait, *non sunt in canone, nec apud Iudæos, nec apud Christianos.* Ac propterea Occamus 3. parte dialogorum tractatu primo lib. 5. cap. 16. & Richardus lib. 2. exceptionum cap. 9. eos reiecerunt vt Melchior Canus cognoscit, De locis Theolog. lib. 2. c. 10. Qui eodem etiam in loco & capite 11. Gregorium magnum vtrumque Macchabæorum librum à canone, secreuisse, nobiscum fatetur. Nec illa quam citas Augustini sententia, causam tuam confirmat. Primùm quia Macchabæorum libros eo in loco appellat scripturas, non canonicas, sed veteres, & ad illustrationem opinionis suæ non ad dogmatis ecclesiastici auctoritatem confirmandam adducit. Deinde alibi sobriè Macchabæorum libros, vt non inutiles, legendos monet. Quam cautionem verè canonicis minimè adhibuisset. Præterea, quamuis Augustinus id quod ei adscribis, sensisset, meritò tamen priuato illius & paucorum sine iusta ratione iudicio, communis

In Esdram cap. 1.

Contra Gaudentij Epist. lib. 2. cap. 23.

plurimorum patrum sententia, pluris æstimari deberet: quemadmodum hanc in scriptis suis diiudicandis libertatem non solùm admittit, sed etiam præscribit. Et sanè plurimæ à nostris adferuntur rationes, quibus Macchabæorum libros non diuino, sed humano Spiritu conscriptos esse demonstrant. Nam præterquam quòd nec à Prophetis conscripti, nec ecclesiæ Dei tanquã canonici traditi sunt, tam perspicua est eorum librorum, *partim inter se*, partim cum reliquo *Veteris testamẽti* canone discrepantia, vt nulla probabili specie excusari possit. Huc accedit, quod liber secundus nihil aliud esse dicitur, quàm Epitome librorum quinque Iasonis Cyrenæi, in qua re declaranda, non diuinum spiritum, sed humanam diligentiam copiose & apertè ostendit. Atque huic initio finis consentit: in quo, humano more, auctor, si minus dignè historiam conscripserit, veniam poscit. Quare roganti damus veniam, sed illius opera à libris afflatu diuino conscriptis, sanctè cum orthodoxis

Epist. 111. ad Fortunatianum.

Cap. 2. 24 &c.

doxis patribus & Gregorio magno Pontifice vestro separamus.

COSTERVS.

TERTIA.

OLIM à plerisque dubitatum fuit, de nonnullis scripturæ libris, de epistola ad Hebræos, de altera epistola D. Petri, de posterioribus capitibus Danielis, &c. Non sunt igitur hæreseos crimine condemnandi, qui eosdē nunc vel reijciunt, vel in dubium vocant.

SOLVTIO.

CONSEQVENTIA neganda est: quia pari ratione efficietur, hodie à nobis dubitari posse, an sint de integro baptizandi, quos hæretici abluerunt? quod existimauit D. Cyprianus, cum concilijs aliquot Aphricanis: &, an Christianis obseruanda sit lex Mosaica, etiam istis qui ex gentilibus crediderunt? quod ante Hierosolymitanum concilium citra hæresim à plerisque agitatum fuit. Denique vtrum ad gen- Actor. 15.

tes quoque pertineat gratia Euangelij, an verò ad solos Iudæos? sicut nonnulli in actis apostolicis arbitrabantur. Tametsi namque ecclesia vnam eandemque fidem quouis tempore retineat, quædam tamen fiunt nonnunquam explicatiora, temporis progressu, quã fuerint in principio. Sicut enim numero creuit Ecclesia, ita facta est auctior eruditione, & perspicacior in illis cognoscendis, quæ ex primis articulis fidei manifestò notis, tanquam ex principijs necessariò colliguntur. Ecclesia igitur nullo vnquam tempore, pro fidei dogmate recepit, quod prius reiecerat, vel non esse credendum docuerat (hoc enim est hæreticorum, qui fidem mutant) sed aliquãdo credit explicatiùs, quod prius crediderat in genere atque obscurius. Proinde quamuis nihil fidei contrarium sentiant, qui de re nondum explicata, diuersam ab alijs opinionem tuentur; nulli tamen licet, citra notam hæreseôs, in dubium reuocare rem semel ab vniuersa ecclesia manifestè declaratam, atque receptam. Itaque postquam

Actor. 11.

ab ec-

ab ecclesia explicatum est etiam illos libros in sacris esse habendos, qui apud nonnullos, in dubium venerant, nulli est fas amplius dubitare; cùm pari veneratione habendi sint, atq. si nulla de his vnquam dubitatio fuisset; quandoquidem ab eadem ecclesia fidem auctoritatemque accipiunt, quæ reliquos libros in sacris numerauit. Causa autem cur à plerisque catholicis non fuerint Sacris literis adnumerati, non illa est, quia tunc non fuerint sacri; sed quia nondum omnibus, à tota ecclesia, pro Sacris propositi. Ergò simul atque publicè proponuntur, sine vlla recusatione in diuinorum librorum numero ab omnibus colendi sunt ac venerandi. Quemadmodũ nummus aureus quibusdam initio suspectus velut adulterinus, si postea aurificis periti statera examinatus, & à magistratu approbatus, ab omni populo recipiatur, non minoris est pretij, quàm cæteri nummi, qui talem suspicionem nunquam tulerunt. Simile.

GOMAe

GOMARVS.

Hoc tertium argumentum nos minimè attingit, quum de auctoritate epistolarũ ad Hebræos & Petri secunda probè inter nos conueniat. Quod verò posteriora Danielis capita ijs annectis, alia longè est ratio. Ea enim non esse Danielis Prophetæ non solùm ecclesia Veteris Testamenti, quæ illa nunquam à Deo accepit, aut probauit, & sermo Græcus, ostendunt; sed etiam temporis, & reliquarum circumstantiarum, ratio id euincit. Quare non temerè, sed iustis de causis ab orthodoxis patribus, extra Sacræ scripturæ canonem, collocantur. Qua de re celebris Hieronymi locus; *Et miror* (inquit inter cætera de hisce capitibus quæ Danieli postea assuta sunt) *quosdam* μεμψιμοίρους *mihi indignari quasi ego detruncauerim librum, quum & Origenes, & Eusebius, & Apollinarius, alijq; ecclesiastici viri & doctores Græciæ fateantur, nec se debere respondere Porphyrio pro his, quæ nullã Sacræ scripturæ aucto-*

Prologo cõmentariorum in Danielem.

auctoritatem habeant. Atque eadem est Iohannis Driedonis Louaniẽsis Theologi sententia. Itaque malè Cypriani de baptismo, & Iudæorum de legis obseruatione & Gentium vocatione, Christi verbis repugnantes errores, cum iusta veterum, de posterioribus Danieli assutis capitibus, sententia confers. Qua etiam in re obseruanda est insignis Pontificia contradictio. Nam quum veteres plerique, vt fateri cogeris, aliter senserint de Sacræ scripturæ libris, quàm ecclesia Romana hodierno die, sequitur ecclesiam errare posse & iudicium illius non esse regulam fidei; nec Romanam ecclesiam, de perpetuo suo cum patribus consensu, posse gloriari. *Sed vna* (inquis) *manente fide quædam fieri possunt explicatiora*: fateor sanè sed non contraria; cuiusmodi sunt veteris ecclesiæ & Pontificiæ, de apocryphis libris, iudicia, vt ex superioribus constat. Deinde verò quod subijcis; *Sicut enim numero creuit ecclesia ita facta est auctior eruditione & perspicacior in illis cognoscendis quæ ex primis articulis fide manifesto*

De dogmatibus Ecclesiasticis lib. 1. cap. vltimo.

festò notis, tanquam ex principijs, necessariò colliguuntur; id vt vestram infirmat; sic nostram confirmat sententiam. Nos enim veteres patres secuti, ex articulis fidei & ex certis Prophetarum & Apostolorum libris, tanquam ex principijs, de apocryphis aut incertis iudicamus. Vestra verò de eo argumento doctrina nulla ratione colligitur, sed sola paucorum hominum in concilio Florentino & Tridentino auctoritate constat ac propterea parui æstimanda est. Nam quę de ecclesiæ in scripturas auctoritate subijcis, ea suo loco examinauimus. Similitudo verò qua hanc controuersiam concludis; *Quemadmodum nummus aureus quibusdam initio suspectus, velut adulterinus, si postea artificis periti statera examinatus, & à magistratu approbatus, ab omni populo recipiatur, non minoris est pretij, quàm cæteri nummi, qui talem suspicionem nunquam tulerunt*: hæc inquam similitudo elegans est, & orthodoxam nostrarum ecclesiarum sententiam plurimum illustrat ac confirmat. Nos enim libros apocryphos aut dubios non ad fallacem

cem humani ingenij opinionem, sed ad articulos fidei, & certos Sacræ scripturæ libros, tanquam ad Lydium lapidem & rectam fidei stateram perpendendos ac probandos affirmamus. Quam etiam rationem Pontificij doctores præstantissimi, vi veritatis eò adacti, secuti sunt, & nobiscum libros illos apocryphos à scripturæ canone secretos esse censuerunt. Hugo de Sancto victore, in prolegomenis lib. 1. de Sacramentis, cap.7. Nicolaus Lyranus in Esdram cap.1.& præfatione in Tobiam: Richardus libro 2. exceptionum cap.9. Dionysius Carthusianus principio commentariorum in Genesin: Abulensis in Matthæum cap.1. Antoninus episcopus, qui in sanctorum numerum à à Pontifice relatus est, 3. part. tit. 18. Hugo Cardinalis in prolegomena Iosuæ, Thomas de Vio, Caietanus Cardinalis, & Papæ aduersus Lutherum ad Carolum quintum legatus, cuius (vt omittam ea quæ ante retuli) ad Clementem Papam septimum præfatione in Iosuam hæc sunt verba; *Diuo Hieronymo,*

nymo, pater beatißime, vniuersa ecclesia Latina plurimùm debet, non solùm ob annotatas ab eo in libris Veteris & Noui Testamenti particulas, tum adiectitias, tum ambiguas; sed etiam propter discretos ab eodem canonicos, à non canonicis. Liberauit siquidem nos ab Hebræorum opprobrio, quod fingamus nobis antiqui canonis libros aut librorum partes, quibus ipsi penitus carēt. Atque hancce horum virorum esse sententiam confitentur, partim Melchior Lanus episcopus, in locis communibus, lib. 2. ca. 10. partim Bellarminus, Iesuita, de verbo Dei lib. 1. cap. 7. Eosdem etiam à canone libros reijciūt Brito auctor Glossę in prologū Hieronymi in Lyrano, Franciscus Picus de fide & ordine credendi theoremate quinto, & ante paucos annos, Benedictus Arias Montanus (vir toto orbe celeberrimus, qui Biblijs regijs Antwerpiæ præfuit) in Biblijs Hebræis cum interlineari interpretatione, excusis & approbatis à Louaniensibus theologis, Noui Testamenti titulo, de libris sapientiæ, Tobiæ, Iudith, Macchabæorum, & reliquis similibus loquens,

quens, ait, *Ecclesia orthodoxa Hebraeorum canonem secuta inter Apocryphos recenset.* Idem denique communi Bibliorum Pontificiorum, quæ hactenus prodierunt, iudicio confirmatur: in quibus prologus Hieronymi galeatus, quo apocryphos à Canone secernit præfationis loco præmissus, omnium oculis perspicuè proponitur. Ex quibus omnibus testimonijs apparet Costerum, qui consensum Romanæ ecclesiæ tantopere iactat, nec cum veteri ecclesia, nec cum præcipuis suis doctoribus conuenire, sed apertis eorum sententijs abundè confutari. Quare vt cum Nicolao Lyrano, libros illos apocryphos à sacrarum literarum canone segregante, loquar, *Sicut in scripturis Philosophicis veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: sic in scripturis à catholicis doctoribus traditis veritas cognoscitur, quantum ad ea quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad scripturas Sacræ scripturæ canonicas, quæ sunt habitæ reuelatione diuina, cui nullo modo falsum potest subesse.* Præfat. in Tobiam.
Et vt cum Basilio magno vnniuersam Epist. 80.

de Sacra ſcriptura controuerſiam concludam. *Itaque diuinitus inſpirata ſcriptura arbiter noſter eſto, & apud quos inuenta fuerint dogmata diuinis eloquijs conſona, his omninò veritatis accedet ſuffragium.* Interim verò dum me ad alteram refutationis Enchiridij Coſteri partem, de Eccleſia & Pontifice Romano pro temporis ratione compono, hoc controuerſiarum fundamentum boni conſulent boni. Quod vt eccleſiæ ſit vtile & Coſtero illiuſque aſſeclis ſalutare, Deum Sacræ ſcripturæ auctorem precor.

FINIS.

ARGVMEN-

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI PRIMI.

In exordio fœda Sodalitatís virginis Mariæ idololatria fideliter ostenditur ac solidè confutatur.

ecclesia Christi pestem, vere à Christiana ecclesia reprehendi: contrà verò eadem falsò à Pontificia ecclesia defendi & indies nouis & indignis modis augeri.

CAP. V. *Quinta antithesis in contraria templorum & Sacramentorum tractatione. Christianam ecclesiam, sine vllo Sacrilegio idololatrica Pontificiorum templa contemnere: contrà verò eadem à Pontificiorum ecclesia cultu idololatrico honorari.*

CAP. VI. *Sexta antithesis in cōtrarijs doctrinæ fructibus. Ex Christiana ecclesiæ doctrina veram fidem & veram charitatem: contrà verò ex Pontificiæ ecclesiæ doctrina magnam superstitionum, crudelitatis, libidinum, hypocriseos, auaritiæ & perfidiæ messem oriri.*

CAP. VII. *Septima antithesis in contraria successione. In Christiana ecclesia veram vigere successionem tam doctrinæ, quàm ministerij ecclesiastici: contrà verò in ecclesia Pontificia vtramque desiderari.*

CAP. VIII. *Octaua antithesis in contrarijs consilijs & actionibus. Christianam ecclesiam Dei gloriæ & virtuti operam dare: contrà verò clerum Pontificium magna ex parte auaritia, ambitione & impuritate vitæ contaminatum.*

CAP. IX. *Nona antithesis in cōtrarijs erga patres antiquos & concilia studijs & iudicijs. Christianam ecclesiā eos honorare tanquam testes,*

testes; sed eis tamen Sacras literas præferre tanquam unicam fidei regulam: contrà vero Pontificiam ecclesiam patrum & conciliorum consensum, si veritatem spectemus, Dei verbo æquare.

CAP. X. *Decima antithesis in contrarijs loquendi modis. Christianam ecclesiam fidei suæ confessionem edere ex Sacris literis & certa prudenter ab incertis distinguere: contrà Pontificiam ecclesiam humana niti doctrina & de rebus abstrusis, sine Sacris literis, magna temeritate pronunciare.*

CAP. XI. *Undecima antithesis in iudicijs de maiorum salute. Christianam ecclesiam neminem qui bona conscientia fidei fundamentum retinuerit condemnare & de proximi salute bene sperare: contrà verò Pontificiam ecclesiam in maioribus & verè fidelibus reipsa condemnandis esse temerariam.*

CAP. XII. *Duodecima antithesis in contraria ad ministeriũ ecclesiasticũ vocatione. Christianæ ecclesiæ pastores legitimè secundùm verbi diuini præscriptum vocatos, & per ianuam in ouile Christi fideliter ingressos: contrà verò Pontificiæ ecclesiæ ministros plerosque per fenestram tanquam fures irrepsisse.*

CAP. XIII. *Decima tertia antithesis in duratione doctrinæ. Christianam ecclesiam in fundamento fidei constantem esse: contrà Pontificiã ecclesiam in ea re esse instabilem.*

CAP. XIV. *Decima quarta antithesis in mira-*

 culis.

culis. Christianam ecclesiam Christi & Apostolorum miraculis instructam nullis iam amplius egere miraculis ad doctrinæ suæ confirmationem: contrà Pontificiam ecclesiam veritate destitutam confictis miraculis niti.

CAP. XV. *De ratione agendi cum hæreticis & Pontificiæ ecclesiæ crudelitate, qua in suos aduersarios sæuit: & quænam optima cum ea disputandi ratio: quamque multæ & horrendæ hæreses in ea doceantur.*

CAP. XVI. *De ratione agendi cum iis qui hæreticis credunt: & qua ratione à verè Christianis Pontificiorum quæstionibus possit satisfieri.*

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SECVNDI.

CAP. I. *Tria scripturæ genera à Costero falsò constitui.*

Pontificum decreta in veteri testamento non fuisse tertium sacræ scripturæ genus, nec paris cum sacra scriptura auctoritatis.

In nouo testamento consensum ecclesiæ non esse sacræ scripturæ genus.

CAP. II. *Consensus ecclesiæ præstantiam multis partibus superare scripturas, impiè omnino à Costero asseri.*

De dignitate sacræ scripturæ: & quibus modis & gradibus infideles ad earum notitiam & fidem adduci possint.

Quo

FINIS.